THEOPOMPEA.

DISSERTATIO

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

ORDINE PHILOSOPHORUM ARGENTORATENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

CAROLUS BUENGER

BURGENSIS.

ARGENTORATI

APUD CAROLUM I. TRUEBNER

1874.

PATRI OPTIMO

S.

Multi viri docti cum inde ab Heerenio, C. F. Hermanno usque ad Sauppium, Ruehlium alios studia et operam in fontes quibus Plutarchus in vitis parallelis usus esset eruendos conferrent atque id potissimum spectarent, ut iis, quae alii scriptores graeci vel latini tradidissent, cum Plutarcho comparatis ex consensu vel differentiis eorum rerum gestarum potissimum ratione habita cuiusque loci auctorem investigarent, multa non ad eam quam ipsi vellent evidentiam perduci posse ipsi concesserunt. Sed cum nuper Eduardus Woelfflin [„Antiochus von Syracus und Coelius Antipater (Winterthur 1872)"] de fontibus, quos Thucydides et Livius secuti essent, observationibus de scriptorum oratione loquendique usu institutis nova et ea maxima invenisset, Plutarchi orationem et genus dicendi similiter observando eius fontes indagare mihi proposui. In quo quamquam non me fugit, imperitia mea quam longe abesset ab illius viri doctissimi doctrina atque ingenio, novitate harum quaestionum adductus sum, ut periclitarer, quid minorum gentium ingeniolo praestari posset. Theopompum autem ideo elegi ex Plutarchi auctoribus, quia in eius vitis hunc saepissime adhibitum esse constat nec non multa et certa accurateque tradita fragmenta ex eius libris exstant, et quia eius oratio ut magni scriptoris tam propria est et distincta, ut ab aliorum multitudine facile discerni posse videatur.

Sed priusquam ad id quod mihi proposui accedam, ut quae in Plutarchi vitis ex Theopompo manaverint, ex genere dicendi et verborum usu demonstrem, primum de Theopompi oratione, quatenus ex eius fragmentis cognosci possit, deinde qua ratione Plutarchus fontibus suis ad vitas scribendas usus sit, paucis dicendum videtur.

CAPUT I.

DE THEOPOMPI ORATIONE.

Quae veteres scriptores de Theopompo historico eiusque libris tradiderunt cum optime collegerit Arnoldus Schäfer (Abrisz der Quellenkunde der griechischen Geschichte. Lipsiae 1873 pag. 54—63), hoc loco ea sufficit commemorare quae ad ipsam orationis Theopompeae descriptionem pertinent. Atque Dion. Halic. epist. ad Cn. Pompei. 6 pag. 786: *καθαρά τε γάρ*, inquit, [*Θεοπόμπου*] *ἡ λέξις, καὶ κοινὴ καὶ σαφὴς ὑψηλή τε καὶ μεγαλοπρεπὴς καὶ τὸ πομπικὸν ἔχουσα πολύ, συγκειμένη τε κατὰ τὴν μέσην ἁρμονίαν, ἡδέως καὶ μαλακῶς ῥέουσα. διαλλάττει δὲ τῆς Ἰσοκρατείου κατὰ τὴν πικρότητα καὶ τὸν τόνον ἐπ' ἐνίων, ὅταν ἐπιτρέψῃ τοῖς πάθεσι, μάλιστα δ' ὅταν ὀνειδίσῃ ..... πολὺς γὰρ ῥεῖ ἐν τούτοις καὶ τῆς Δημοσθένους δεινότητος ... εἰ δ' ὑπερεῖδεν* [*Θεόπομπος*], *ἐφ' οἷς μάλιστ' ἐσπούδακε, τῆς τε συμπλοκῆς τῶν φωνηέντων γραμμάτων καὶ τῆς κυκλικῆς εὐρυθμίας τῶν περιόδων καὶ τῆς ὁμοειδείας τῶν σχηματισμῶν, πολὺ ἀμείνων ἂν ἦν αὐτὸς ἑαυτοῦ κατα τὴν φράσιν*; deinde vituperat illum, quod tot tantasque digressiones orationi inseruerit: *οὔτε γὰρ ἀναγκαῖαί τινες αὐτῶν οὔτ' ἐν καιρῷ γενόμεναι πολὺ τὸ παιδιῶδες ἐμφαίνουσιν.* Vehementer autem reprehenditur a Polybio *πικρία καὶ κολακεία καὶ ψευδηγορία* eius (VIII, 13), cuius sententia comprobatur et ab Aeliano et a Cornelio Nepote, cum Ael. var. hist. III, 18 *δεινὸς μυθολόγος* et Corn. Nep. Alcib. 11 Theopompus et Timaeus maledicentissimi appellentur. Cicero autem (orat. 61, 207) commemorat eius morem ita dicendi, „ut tanquam in orbe inclusa currat oratio, quoad insistat in singulis perfectis absolutisque sen-

tentiis," sed quod hiatum tanto opere fugerit a quibusdam eum vituperari tradit (orat. 44, 151). His testimoniis Theopompi genus dicendi tam accurate describitur, ut longiore de eo expositione supersedere liceat; itaque statim videamus, quid ex fragmentis ipsis de eius oratione intellegi possit.

Atque fragmenta a Muellero (fragmentorum historicorum graecorum vol. I. pag. 278—333) collecta perlegenti occurrunt

I) nonnulla verba rara vel minus usitata: ab antiquis grammaticis Theopompi propria afferuntur κακόβιος frgm. 3, φυγαδεύω 4, γειτονεῖν (quod etiam Plat. 843 A invenitur) 326, ἄκατος (poculum) 328, ἀλύπητος 329 (Soph.), ἀνθήλιος 331, ἀποκήρυκτος 333. Sed φυγαδεύω cum saepe apud alios scriptores inveniatur, non est cur Theopompi proprium existimetur; κακόβιος etiam fragm. 41. exstat, sed praeterea a Xenophonte Cyrop. 7, 5, 67, Plut. Vit. V, 115, 8[1]) (Artax. cap. 11); 116, 6 (Artax. cap. 12); III, 353, 20 (Alex. cap. 66); 387, 24 (Caes. cap. 23), quibus locis de Theopompo fonte cogitari non potest, usurpatur. Deinde notanda sunt λάσταυρος 249, προσπελατής 41, καταμισθοφορεῖν 95 (Arist. Equ. 1352, Aeschin. 45, 27), πράγματα ἀναγκοφαγεῖν 301 (cf. Aristot. ΠΘ 4. 1339a 6 ed. Acad. Berol. ἀναγκοφαγίαι); βωμολόχος, βωμολοχία quamquam etiam apud alios inveniuntur, tam saepe in his fragmentis exstant (136. 178. 262), ut a Theopompo frequentius usurpata fuisse videantur.

II) verba quae a Theopompo inusitata vi et notione usurpantur: atque ab antiquis grammaticis haec afferuntur: σπουδάζω pro κατεπείγεσθαι 1, ἱερά pro ξόανα (simulacra ligno fabricata) 181, στεφανοῦν pro τιμᾶν 275, αὐτοβοεί pro κατὰ κράτος 321, κατᾶραι pro ἐλθεῖν 327, ἄνεχε (scil. τὴν χεῖρά μοι) pro πάρεχε 330 (ceterum nescitur an hic locus ex Theopompo comico fluxerit), ἀνηνέχθη pro ἀνέπνευσε 336. Porro rara notio est verborum ἡδονῶν κρείττων 21, χρημάτων ἥττων 135 [quamquam Arist. Nub. 1081, Plut. 363, Soph. Tr. 489, Plat. Prot. 353c, Xen. Memor. 1, 5, 1, Cyrop. 8, 8, 12, Plut. Mor. I, 16, 3, (de educ. puer. cap. 19), II, 987, 52 (praec. ger. reip. cap. 13,

---

[1]) Locos Plutarcheos ita significo, ut volumen paginam versum in vitis editionis Teubnerianae rec. Car. Sintenis 1869 5 voll., in moralibus volumen paginam versum editionis Didot. Parisiis 1856 emend. Fred. Duebner 2 voll. addam.

ex Xenoph. depromptum) invenitur], *οἱ βοῦς κέρατα φύουσι* 43 (Hom. Aristoph. Aristot.), *τὴν οἴκησιν ποιεῖσθαι* (domicilium sibi ponere) 103, *τὰ πρὸς ταῦτα συντείνοντα* (quae huc pertinent) 178, (Aristot. Isocr. Demosth.), (Plat. *συντ. εἴς τι*, Diog. Laërt. I, 46 *περί τι*), *ἐπανίστασθαί τινι* (aliquo ad infames libidines abuti) 249.

III) In rebus grammaticis vix opus est commemorare Theopompum, cum ea scriberet aetate, qua antiquior lingua attica in novam transiret, et antiquioribus formis et recentioribus usum esse; verum recentiores iam praevalent formae, cum acc. plur. substantivorum in —*εύς* exeuntium semper in —*εῖς* cadant (*βασιλεῖς*, *γονεῖς*). Hoc unum proprium est, accusativum liberrimum in modum absolute poni veluti fr. 23 *τραγήματα εἶδος παντοδαπόν*, fr. 33 *ἄλσος κεχαρισμένον ἄλλως τε καὶ τὴν θερινὴν ὥραν* (tempore aestivo), fr. 134 *Χῖοι ἐχρήσαντο δούλοις, τὴν μέντοι κτῆσιν οὐ τὸν αὐτὸν τρόπον*, fr. 236 *τοὺς πότους ἀκρατέστερος*. Huc accedit quod persaepe quibus concinna membra segregantur verba *τὰ μέν — τὰ δέ* tam absolute adhibentur, ut ne ab his quidem in fr. 125 abhorruerit: *οὐ πολλαὶ μὲν καὶ πολυτελεῖς στρωμναὶ καὶ χλανίδες τὰ μὲν ἁλουργεῖς τὰ δὲ ποικιλταὶ τὰ δὲ λευκαί.*

IV) De figuris modisque oratoriis haec fere notanda videntur: hiatus ut ab Isocratis discipulo diligenter vitatur, etiamsi in multis fragmentis et iis quae accurate ex Theopompo fluxisse videntur, nonnulli hiatus inveniuntur (fr. 23 *Θάσιοι ἔπεμψαν, ἢ αὐτόν*; fr. 33 *εἶναι ἐν, καὶ εἰπόντος*; fr. 94 *ἀεὶ εὐτελές, προσέλθοι αὐτοῦ*). Ex quo apparet, cum et a Dionys. Halic. l. l. et a Cic. orat. 44, 151 Theopompus vocalium concursus summo opere fugisse tradatur, ne ab Athenaeo quidem severa fide verba transscripta esse; id quod ex alia quoque causa cognoscitur. Nam cum fragmenti 249 magna pars et ab Athenaeo et a Polybio tradita sit, cumque illi scriptores aliquantum inter se discrepent, non satis potest probari Athenaeum maiore fide quam Polybium Theopompi verbis inhaesisse. Cetera quoque quae Isocrates de verborum collocatione, de numeris in arte oratoria observandis praecepit, Theopompus observavit: itaque et adnominationes inveniuntur fr. 182 *φιλογύναιον μέν, φιλόπαιδα δέ*, fr. 249 *ἀνδροφόνοι γὰρ τὴν φύσιν ὄντες, ἀνδρόπορνοι τὸν τρόπον ἦσαν*, fr. 277 *μὴ μόνον τρίδουλον, ἀλλὰ καὶ τρίπορνον*; et oxymora fr. 243 *μία πᾶσι* et alia, sales fr. 200 *ἔγνωσαν τὴν τοῦ φαρμάκου ταύτην*

φιλοτησίαν, et tropi fr. 77 *νῦν δὲ τοσαῦται κῆρες τῷ βίῳ παραπεφύκασιν*, fr. 249 *αὐτοὺς τῆς ἄλλης ἀδικίας καὶ βδελυρίας ἀθλητὰς ἐποίησεν*. Verum de periodorum compositione a praeceptore dissentit, etiamsi Cicero dicit de eodem Isocrateo Theopompeoque more dicendi. [2]) Licet enim in fragmentis longiores verborum comprehensiones inveniantur velut in fr. 178, tamen nusquam habent illam inter se submissionem partium orationis conclusionemque, qua plenae et quasi satiatae periodi Ciceronianae excellunt; sed sententiae levibus coniunctionibus ita, ut omnes eodem tenore progrediantur, praecedenti quaeque asseruntur. Relaxantur igitur non raro periodi, quibus brevia enuntiata absoluta et tanquam uncinis circumclusa inseruntur: velut fr. 23 *κατεκεκάλυπτο γάρ*, fr. 117 *ἅπασι γάρ εἰσι χαλεποί*, fr. 124 *οἱ δὲ καὶ πολὺ πλείω δαπανῶσιν*. Neque vero hoc solum modo id agit Theopompus, ut sententias planas ac perspicuas reddat, sed etiam enuntiata atque commata et inter se plerumque verbis *μέν* - *δέ* opponuntur et verba verbis quasi dimensa et paria respondent. Haec compositio fragmentis 222, 126, 249 optime illustratur. Nam in fr. 222 primum tanquam propositio quaedam thematis inest in verbis *ἐπειδὰν δὲ συνουσιάζωσι καθ' ἑταιρείας ἢ κατὰ συγγενείας, ποιοῦσιν οὕτως*, sequitur argumentum ex duabus partibus compositum, quarum altera ducitur a *πρῶτον μέν*, altera ab *ἀφροδισιάζουσι δέ*. Prior autem pars, qua turpes foedique Etruscorum mores describuntur, ipsa duo habet membra: *ὅταν παύσωνται — γυναῖκας* et *ὅταν δὲ — ἐκείνοις*, et haec quoque membra in particulas scinduntur accurate dimensas, quibus distinguendis *ὁτὲ μέν, ὁτὲ δέ, ὁτὲ δέ* inserviunt, atque *παύσωνται πίνοντες* et *μέλλωσι καθεύδειν* inter se opponuntur. Eodem modo altera quoque pars in duas particulas incisa est: *ὁτὲ μὲν ὁρῶντες — ἀλλήλους* et *ὡς δὲ τὰ πολλά* etc. Quae membrorum oppositio ubi non eadem diligentia observatur, ita currere solet oratio, ut compluribus membris particula *καί* vel simili aliqua coniunctis res exponatur, tum aut brevi argumento conclusio fiat, velut in fr. 204 verbis *καὶ τὴν δίαιταν διῆγεν οὕτως*, aut ut conclusione res ad summum augeatur velut in fr. 155 verbis

[2]) Cic. orat. 62, 207: placet omnia dici Isocrateo Theopompeoque more illa circumscriptione ambituque, ut tanquam in orbe inclusa currat oratio, quoad insistat in singulis perfectis absolutisque sententiis.

καὶ εἰς τοσοῦτον προῆλθε etc. Itaque quod Cicero de Theopompea oratione, „ut tanquam inclusa“ inquit, „currat oratio, quoad insistat in singulis perfectis absolutisque sententiis“ aut quod Dion. Halic. l. l. dicit: *καὶ τῆς κυκλικῆς εὐρυθμίας τῶν περιόδων*, his verbis non Ciceronis quod exstat in orationibus genus dicendi significatur sed haec periodorum compositio, quae optime fr. 178 exemplo illustratur: *τοὺς Θεσσαλοὺς εἰδὼς ὁ Φίλιππος ἀκολάστους ὄντας καὶ περὶ τὸν βίον ἀσελγεῖς συνουσίας αὐτῶν κατεσκεύαζε καὶ πάντα τρόπον ἀρέσκειν αὐτοῖς ἐπειρᾶτο· καὶ γὰρ ὀρχούμενος καὶ κωμάζων καὶ πᾶσαν ἀκολασίαν ὑπομένων· ἦν δὲ καὶ φύσει βωμολόχος καὶ καθ' ἑκάστην ἡμέραν μεθυσκόμενος καὶ χαίρων τῶν ἐπιτηδευμάτων τοῖς πρὸς ταῦτα συντείνουσι καὶ τῶν ἀνθρώπων τοῖς εὐφυέσι καλουμένοις καὶ τοῖς τὰ γελοῖα λέγουσι καὶ ποιοῦσι, πλείους τε τῶν Θετταλῶν τῶν αὐτῷ πλησιαζόντων ᾕρει μᾶλλον ἐν ταῖς συνουσίαις ἢ ταῖς δωρεαῖς.* Primis enim verbis exprimitur, quomodo Philippus Thessalorum animos sibi conciliare studuerit, deinde singula quibus ad hoc consilium perpetrandum usus sit, lascivia, commissationes, compotationes accuratius exponuntur; denique id quod initio significatum erat verbis *πλείους τε τῶν Θετταλῶν — δωρεαῖς* repetitur atque absolvitur quodammodo. — Ut autem orationem hoc modo relaxatam copiosiorem redderet et numerorum quodam vinculo constringeret, Theopompus saepissime ad unam rem exprimendam duo vel plura verba similia significantia adhibuit. Inveniuntur igitur in fr. 15 *ὠμῶς καὶ πικρῶς*, fr. 21 *φιλοπόνος καὶ θεραπεύειν δυνάμενος - σώφρων καὶ τῶν ἡδονῶν ἁπασῶν κρείττων - μέθαις καὶ πότοις*, fr. 33 *ἡδυπαθείας καὶ τρυφάς - εὐδαίμων καὶ μακάριστος*, fr. 65 *σωφρονεστάτων καὶ μετριωτάτων* et multa alia. Itaque cum tota oratio eximium in modum dilucida sit, elegantiaque ac sono numeroque excellat, nescio an Theopompus clarissimus auctor medii illius dicendi generis haberi possit.

V) Qui quanto studio, quanta diligentia, quanta severitate in historia scribenda usus sit, optime intellegi potest cum ex minutis illis descriptionibus in fr. 125 et 182 tum quod quid ipse de quoque homine vel de quaque re censeat tantum abest ut celet, ut ubi res poscit, graviter accuset; atque ex fr. 167 cognoscitur etiam inveteratis et quasi sacratis narrationibus de praeclarissimis rebus a Graecis gestis, quae a veritate abhorrere videantur, for-

titer ac severe adversari. Quod quidem multi scriptores ei exprobraverunt maledicum atque contumeliosum appellantes, velut Suidas τὸ ἦθος πικρὸν καὶ κακοήθη eum existimat; idem tamen addit: τῇ δὲ φράσει πολὺς καὶ συνεχὴς καὶ φορᾶς μεστὸς, φιλαλήθης[3]) δ'ἐν οἷς ἔγραψεν. Neque solum a Dionysio Halicarnassensi ob fidem in rebus gestis narrandis probatam magnopere laudatur, sed etiam ab Alexandrinis in septem magnorum Graecorum historicorum numero collocatur atque a Quintiliano (X, 11) post Thucydidem et Xenophontem tertio loco numeratur.[4])

CAPUT II.

QUOMODO PLUTARCHUS FONTIUM SUORUM VERBA EXPRESSERIT.

Priusquam quae a Plutarcho ex Theopompi libris desumpta sint queramus, haud abs re erit, quomodo Plutarchus fontes in vitis parallelis expresserit, paucis illustrare.

Atque satis accurate quem quoque loco adhibuerit auctoris verba secutum esse Plutarchum cum ex iis conicere licet quae H. Nissen in libri, quem inscripsit: „Kritische Untersuchungen über die Quellen der vierten und fünften Dekade des Livius" p. 78 de universo apud veteres scriptores fontium usu exposuit, tum manifestum est in eo qui tantum numerum scriptorum adhibuerit et tanta celeritate tot libros conscripserit.[5]) Itaque exempli gratia

---

[3]) Postquam haec scripsi, incidi in annal. philolog. vol. 101 (1870) pag. 673—684 in A. Riesii commentationem quam inscripsit: „Der Historiker Theopompos", in qua cum copiosius ageret de rationibus quas Theopompus in historia tractanda secutus esset, tum maxime divulgatam illam de eius malignitate atque de partium nobilium et Lacedaemoniorum studio famam esse falsam ex fragmentis ingeniose demonstravit: iure potius meritoque clarum illud nomen φιλαλήθους ei inditum esse, cum de omnibus civitatibus, hominibus, rebus et severe et sine ira ac studio iudicaret. In his et ceteris quae insunt in commentatione illa argumentationibus gaudeo me cum viro illo doctissimo consentire.

[4]) cf. Curtius: Griech. Gesch. III p. 518 sq.

[5]) Aliud testimonium, quod Sintenis in „epistola ad Sauppium" „tanto magis observatione dignum putat, quo plus habeat non tantum ad alias quaestiones diiudicandas momenti, verum etiam ad fontium usum cognoscendum", hiatus quidem in Plutarchi libris usus ac frequentia non tanti

Plut. vit. I, 243, 30 seq. (Themist. cap. 25) verba simillima sunt vel congruunt cum Thucyd. I, 137 et ibid. I, 307, 12 (Per. cap. 9) cum Thucyd. II, 65. Attamen constat Plutarchum saepissime verbis quae invenerit non inhaesisse sed libere ea commutasse. Quae enim III, 145, 20 (Ages. cap. 4) dicuntur: *ὃ δέ φησιν ὁ Ξενοφῶν, ὅτι πάντα τῇ πατρίδι πειθόμενος ἴσχυε πλεῖστον, ὥστε ποιεῖν ὃ βούλοιτο* nullo alio ex loco manarunt nisi ex Xenoph. Ages. cap. 7, 2, ubi haec verba inveniuntur: *ὅτι δυνατώτατος ὢν ἐν τῇ πόλει φανερὸς ἦν μάλιστα τοῖς νόμοις λατρεύων.* Sed quanta differentia verborum, cum ipse se Xenophontis verbis uti Plutarchus profiteatur! Quid quod III, 161, 4 (Ages. cap. 18) et 174, 10 (Ages. cap. 29) ex Xenophonte aliquid sumptum esse dicitur, quod nusquam apud eum invenitur? Item eorum quae de Lacedaemoniorum publica disciplina ex Thucydide desumpta dicuntur in Lycurg. I, 110, 30, apud Thucydidem similia non exstant. Ergo Plutarchus verba quibus nititur auctorum non accurate transscripsit sed libere modo conservavit modo vel leviter vel magnopere mutavit. Quod qua ratione factum sit ut penitus perspiciamus, nonnullas de iisdem rebus relationes quae et apud Plutarchum et apud alios scriptores inveniuntur inter se comparabimus.

Prorsus concinere verbis iam supra diximus Plutarchum I, 307, 11 (Pericl. cap. 9) et Thucydidem II, 65:

(ἐπεὶ δὲ Θουκυδίδης μὲν ἀριστοκρατικήν τινα τὴν τοῦ Περικλέους ὑπογράφει πολιτείαν), λόγῳ μὲν οὖσαν δημοκρατίαν, ἔργῳ δ᾽ ὑπὸ τοῦ πρώτου ἀνδρὸς ἀρχήν.	*ἐγίγνετό τε λόγῳ μὲν δημοκρατία, ἔργῳ δὲ ὑπὸ τοῦ πρώτου ἀνδρὸς ἀρχή.*

nisi quod initium, quoniam verba non absolute posita sed verbo **ὑπογράφει** subiuncta sunt, a Plutarcho necesse erat paullum mutari. Aliquanto maior intercedit differentia inter Plut. III, 183, 25 (Agesil. cap. 36) et Theop. fr. 23 (Athen. XIV. 657 B):

---

existimanda videntur ad fontes eruendos. Quis enim est qui neget etiam mediocrem scriptorem, si hiatus fugere vellet, facillime quoscunque in fontibus inveniret, commutandis verbis evitare potuisse? Quamquam haud negaverim mirum esse quod in vita Artaxerxis non minus 180 et in uno Phocionis capite 5 undecim atque in eiusdem capite 9 duodecim adeo hiatus inveniantur.

ἄλευρα μὲν καὶ μόσχους καὶ χῆνας ἔλαβε, τραγήματα δὲ καὶ πέμματα καὶ μύρα διωθεῖτο, καὶ βιαζομένων λαβεῖν καὶ λιπαρούντων ἐκέλευσε τοῖς εἵλωσι διδόναι κομίζοντας.	*ὁ δ' Ἀγησίλαος τὰ μὲν πρόβατα καὶ τοὺς βοῦς ἔλαβε, τὰ δὲ πέμματα καὶ τὰ τραγήματα πρῶτον μὲν οὐδὲ ἔγνω . . . λιπαρούντων δὲ τῶν τοῦ Τάχω* (Wichers coni., codd. *τῶν Θασίων*). *Δότε, φησὶ, φέροντες ἐκείνοις, δείξας αὐτοῖς τοὺς εἵλωτας.*

Priorem huius fragmenti partem et ea quae praecedunt *καὶ οἱ Θάσιοι — τοὺς βοῦς ἔλαβε* minus accurate ab Athenaeo transscripta esse iam Muellerus in annotationibus ad hoc fragmentum exposuit, cum praesertim Athenaeus duos Theopompi locos confuderit. Plutarchus Theopompea melius videtur servasse, cum eam concinnitatem membrorum, cui Theopompus tantopere studebat, optime conservaverit: (*ἄλευρα μὲν καὶ μόσχους καὶ χῆνας — τραγήματα δὲ καὶ πέμματα καὶ μύρα*) et pro solo verbo *λιπαρούντων* duo synonyma *βιαζομένων καὶ λιπαρούντων* cum abundantia quadam ex more Theopompi coniunxerit. Reliqua autem verba ab Athenaeo videlicet accurate transscripta (*πρῶτον μὲν* etc.) cum sibi levioris viderentur momenti omisit, sola verba *ἀποφέρειν ἐκέλευσεν,* quae ad rem necessaria sunt, exemit sed in *διωθεῖτο* libere commutavit; denique pleonasmum *δότε φέροντες* diligenter reddidit verbis *διδόναι κομίζοντας.*

Nec tamen multi inveniuntur loci, in quibus eadem fide quae in fonte legit verbis inhaeserit. Persaepe enim rem solam tenuit, verba aut nusquam eadem adhibuit aut raro. Cuius rei luculentum exemplum exstat Plut. II, 481, 25 sq. (Cim. cap. 10), I, 307, 22 (Pericl. cap. 9), Theop. fr. 94 (Athen. XII, p. 533 A); in Cimone quamquam et res ipsae et rerum ordo omnino consentiunt cum Theopompo (nam verba *καὶ διατροφὴν εἶχεν - τὸ δεῖπνον* (482, 1) apparet a Plutarcho ipso et in fr. 94 *καί φασι μὲν αὐτὸν καὶ εἰς ταφὴν εἰσφέρειν* ab Athenaeo aliunde deprompta et inserta esse), verba nulla fere nisi quibus omissis ipsa res non potuit exprimi, cum illo congruunt; in Pericle autem, cum in vita Periclis quae de Cimonis liberalitate dicuntur, levioris momenti sint, narratio vehementer contracta et amputata est, singularum rerum ordo inversus, sed verba fortasse accuratius cum Theopompo consentiunt. Age vero aliis locis etiam res gestas Plutarchi arbitrium fide

historica valde neglecta aliter enarrat atque in auctore invenit. Quicunque enim I, 405, 1—22 (Alcib. cap. 27 sq.) cum Xenoph. Hellen. I, 1, 9. 10 conferet, persuasum habebit hunc locum ex Xenophonte derivatum esse, cum verba *ξένια καὶ δῶρα, συλλαβὼν εἷρξεν ἐν Σάρδεσι* congruant, sed cum Xenophon uno navigio Alcibiadem ad Tissaphernem vectum esse tradat videlicet clam cum eo de foedere vel alia de re acturum, Plutarchus liberrimum in modum rem ita refert, ut Alcibiadem *φιλοτιμούμενον εὐθὺς ἐγκαλλωπίσασθαι τῷ Τισσαφέρνῃ καὶ θεραπείαν ἔχοντα ἡγεμονικὴν* transiisse dicat. Quare Plutarchus non excerpentis scholiastae modo nec temere fontes transscripsit sed consulto suo arbitrio atque suae de singulis rebus sententiae accommodavit.

Plerumque autem ita fontes adhibuit, ut sicubi verba aliena servabat, complura deinceps suae narrationi insereret. Quod ut demonstrem, ex magno exemplorum numero haec eligam:

Plut. I, 301, 1 sq. (Per. cap. 3)	Herod. VI, 131 extr.
αὕτη κατὰ τοὺς ὕπνους ἔδοξε τεκεῖν λέοντα καὶ μεθ' ἡμέρας ὀλίγας ἔτεκε Περικλέα.	*εἶδε ὄψιν ἐν τῷ ὕπνῳ· ἐδόκεε δὲ λέοντα τεκεῖν καὶ μετ' ὀλίγας ἡμέρας τίκτει Περικλέα.*

Atque si duobus locis Plutarcheis eadem res narratur, verba, quae congruant, nisi ex una vita in alteram translata sint, ex communi fonte fluxisse coniciendum est. Itaque ex iis quoque, etiamsi ipsius fontis verba interierint, quomodo Plutarchus ea expresserit cognosci potest. Veluti II, 392, 7 sq. (Lys. cap. 10) I, 415, 7 sq. (Alcib. cap. 36) nonnulla verba vel congruunt omnino (*ἵππῳ προσελάσας*) vel paullum discrepant (*ᾐτιᾶτο τοὺς στρατηγοὺς — ἐδίδασκε τοὺς στρατηγούς; οὐ καλῶς — κακῶς; ἐν αἰγιαλοῖς δυσόρμοις — ἐν χωρίοις ἀλιμένοις; ἐφορμούντων στρατεύματι μοναρχουμένῳ — ἀντεφορμοῦντος στόλου πρὸς ἐπίταγμα μοναρχικόν*), sex autem deinceps verba eaque non ad rem necessaria *πόρρωθεν ἐκ Σηστοῦ τὰ ἐπιτήδεια λαμβάνοντες* eadem eodem ordine locata sunt. Eiusdem modi similitudines cum maioribus differentiis coniunctae inveniuntur II, 491, 24 sq. (Cim. cap. 17) et I, 308, 12 sq. (Per. cap. 10):

Cim.	Per.
a) *ἐξωστράκισαν εἰς ἔτη δέκα* (scil. *τὸν Κίμωνα*)· *τοσοῦτον γὰρ ἦν χρόνου τεταγμένον ἅπασι τοῖς ἐξοστρακιζομένοις·*	*ὁ μὲν οὖν ἐξοστρακισμὸς ὡρισμένην εἶχε νόμῳ δεκαετίαν τοῖς φεύγουσιν.*

b) ἐν δὲ τούτῳ τῶν Λακεδαιμονίων, ὡς ἐπανήρχοντο Δελφοὺς ἀπὸ Φωκέων ἐλευθερώσαντες, ἐν Τανάγρᾳ καταστρατοπεδευσάντων Ἀθηναῖοι μὲν ἀπήντων διαμαχούμενοι.	ἐν δὲ τῷ διὰ μέσου Λακεδαιμονίων στρατῷ μεγάλῳ ἐμβαλόντων εἰς τὴν Ταναγρικὴν καὶ τῶν Ἀθηναίων εὐθὺς ὁρμησάντων ἐπ' αὐτούς.
c) Κίμων δὲ μετὰ τῶν ὅπλων ἧκεν εἰς τὴν αὑτοῦ φυλὴν τὴν Οἰνηίδα, πρόθυμος ὢν ἀμύνεσθαι τοὺς Λακεδαιμονίους μετὰ τῶν πολιτῶν.	ὁ μὲν Κίμων ἐλθὼν ἐκ τῆς φυγῆς ἔθετο μετὰ τῶν φυλετῶν εἰς λόχον τὰ ὅπλα καὶ δι' ἔργων **ἀπολύεσθαι τὸν λακωνισμὸν ἐβούλετο συγκινδυνεύσας τοῖς πολίταις** (cf. Cim. sub e).
d) ἡ δὲ **βουλὴ τῶν πεντακοσίων** πυθομένη καὶ φοβηθεῖσα, τῶν ἐχθρῶν αὐτοῦ καταβοώντων ὡς συνταράξαι τὴν φάλαγγα βουλόμενον καὶ τῇ πόλει Λακεδαιμονίους ἐπαγαγεῖν, **ἀπηγόρευσε τοῖς στρατηγοῖς μὴ δέχεσθαι τὸν ἄνδρα.**	οἱ δὲ φίλοι τοῦ Περικλέους συστάντες (cf. Cim. sub f) ἀπήλασαν αὐτὸν ὡς φυγάδα.
e) κἀκεῖνος μὲν ᾤχετο δεηθεὶς Εὐθίππου τοῦ Ἀναφλυστίου καὶ τῶν ἄλλων ἑταίρων, ὅσοι μάλιστα τὴν τοῦ λακωνίζειν αἰτίαν εἶχον, ἐρρωμένως ἀγωνίσασθαι πρὸς τοὺς πολεμίους καὶ δι' ἔργων ἀπολύ**σασθαι τὴν αἰτίαν πρὸς τοὺς πολίτας· οἱ δὲ λαβόντες αὐτοῦ τὴν πανοπλίαν εἰς τὸν λόχον ἔθεντο** (cf. Per. sub c).	Διὸ καὶ δοκεῖ Περικλῆς ἐρρωμενέστατα τὴν μάχην ἐκείνην ἀγωνίσασθαι καὶ γενέσθαι πάντων ἐπιφανέστατος ἀφειδήσας τοῦ σώματος.
f) καὶ μετ' ἀλλήλων συστάντες (cf. Per. sub d) ἐκθύμως **ἑκατὸν ὄντες ἔπεσον.**	ἔπεσον δὲ καὶ τοῦ Κίμωνος οἱ φίλοι πάντες ὁμαλῶς.

In Cimone videlicet Plutarchus accuratius fontem secutus est, cum res planius atque subtilius exponeret quam in Pericle. Verba in Pericle sub e) et in Cimone sub e) relata comparanti mira occurrit verborum traiectio, ex qua quomodo Plutarchus conscrip-

serit clarissime perspiciatur. Nam *καὶ δι' ἔργων ἀπολύεσθαι τὸν λακωνισμόν* in Pericle ad Cimonem ipsum pertinent, in Cimone ita dicuntur, ut amici eius, quo Laconismi suspicio refutetur, ut fortiter pugnent, a Cimone admoneantur; tum mirum in modum similia sunt verba *ἔθετο μετὰ τῶν φυλετῶν εἰς λόχον τὰ ὅπλα* (Per. c) et *οἱ δὲ λαβόντες αὐτοῦ τὴν πανοπλίαν εἰς τὸν λόχον ἔθεντο* (Cim. e), res autem prorsus inversa est; porro verbum *συστάντες* in Pericle de Periclis amicis usurpatur, in Cimone de Cimonis et *ἐρρωμένως* (vel *ἐρρωμενέστατα*) *ἀγωνίσασθαι* in Cimone de iisdem et in Pericle de Pericle.

Habemus ergo, qua ratione Plutarchus fontes expresserit: narratione enim aliqua perlecta quatenus memoria tenebat verba reservabat, alia quae ei aut antiquiora esse aut minus accurate rem significare videbantur, commutabat, res ipsas ad suam sententiam conformabat, in quo id agebat, ut cuiuscunque vitam scriberet eum oratione ipsa maxime insignem redderet.[6])

CAPUT III.

QUAE PLUTARCHUS IPSE DE THEOPOMPO AUCTORE SUO PROFESSUS SIT.

Quoniam in vitis Themistoclis, Alcibiadis, Lysandri, Agesilai, Demosthenis, Dionis, Timoleontis et Moral. de Is. et Os., [X oratt. vit.], Non posse suav. viv. sec. Epic. Plutarchus ipse Theopompum commemorat auctorem et praeterea ad nonnullas in quibus eum non appellaverit vitas componendas fontem a Plutarcho adhibitum esse a viris doctis gravissimis argumentis comprobatum est, satis apparet Theopompum Plutarcho locupletissimum fuisse auctorem et saepissime adhibitum. Quod non sine causa factum est. Nam Plutarchus in vitis scribendis hoc sibi proposuit, ut ad praeclara illa virorum exempla aequalium mores conformaret et excoleret. Theopompus autem cum summo studio hominum mores, ingenia, vitae rationes explicaret, id egit, ut magnas parvarum atque pusillarum rerum copias colligeret et in viris describendis ne minora quidem neglegeret: quibus rebus Plutarchus libentissime

⁶) Nunc video A. Haeblerum in dissertatione quam inscripsit: Quaestiones Plutarcheae duae (Lipsiae 1873) similia de his rebus proferre (p. 22 sq.).

utebatur. Qui quamquam II, 416, 16 (Lys. cap. 30) ipse fatetur se Theopompum magis sequi ubi laudet quam ubi vituperet, quamquam I, 250, 15 (Themist. cap. 31), IV, 220, 4 (Demosth. cap. 13), 225, 10 (Demosth. cap. 18) eum errare iudicat, atque IV, 227, 14 (Demosth. cap. 21) vehementer exagitat (*ὡς γράφει καὶ τραγῳδεῖ Θεόπομπος*), tamen plurimi a Plutarcho existimari ex aliis locis satis cognoscitur. III, 179, 3 (Ages. cap. 33) enim (*τοῦτο μὲν οὐκ οἶδα ὅπως ἠγνόησαν οἱ ἄλλοι, μόνος δὲ Θεόπομπος ᾔσθετο*) diligentia eius laudatur, neque vero neglegendum videtur, ubicunque Theopompus una cum aliis auctoribus citetur, semper insigni eum quodam modo nominari: I, 238, 2 (Themist. cap. 19) *ὡς μὲν ἱστορεῖ Θεόπ. — ὡς δ᾽οἱ πλεῖστοι* et III, 178, 28 (Agesil. cap. 32) *οἱ μὲν ἄλλοι λέγουσι — οἱ δὲ — Θεόπομπος δέ φησιν* unius omnibus aliis sententia opponitur, et I, 244, 10 (Themist. cap. 25), I, 410, 11 (Alcib. cap. 32), II, 5, 11 (Timol. cap. 4), II, 400, 3 (Lys. cap. 17), primo loco appellatur, post eum alii (Theophrastus, Ephorus, Xenophon, Timaeus) nominantur. Quod quidem non casu factum esse constat; sed cum Thucydides semper (excepto uno loco III, 37, 20 (Nic. cap. 28) *ὡς Φίλιστος ἔγραψε καὶ Θουκυδίδης*, in quo cum neque hunc neque illum sequeretur Plutarchus minus religiose ordinem servavit) reliquis omnibus anteponatur, Ephorus minoribus scriptoribus praecedat, optimo iure Plutarchum quem quoque loco maxima auctoritate dignum habeat conicere licet eum primum nominare. De iis autem locis quibus vituperatur Theopompus hoc monendum est, Plutarchum, Diodorum alios eundem in modum libros conscribentes quem principalem adhibeant fontem plerumque non nominare, nisi forte sicubi errare putent eum aliis auctoribus inspectis refutent et, quo magis ipsa re ac ratione veritatem exquirere neque alienam auctoritatem sequi videantur, graviter castigent.

Quae autem ex Theopompo deprompta ab ipso Plutarcho significantur cum breviora sint quam in quibus genuina atque continua possit oratio Theopompea cognosci, cumque ne in his quidem eius verba religiose servata esse propter ea quae supra (pag. 13 sq.) diximus, persuasum nobis sit, tamen nonnulla vestigia Theopompi conquiramus casu quodam in iis relicta:

I, 237, 32 (Themist. cap. 19) *γενόμενος ἀπὸ τῶν πράξεων ἐκείνων* (his rebus confectis) quamquam complexio est verborum minime singularis et eadem cum notione apud Herod. 2, 78

Polyb. Diod. Ioseph. Aelian. saepius usurpatur, quamquam in aliis Theopompi fragmentis non exstat, tamen nescio an indicium eius orationis haberi possit propterea quod ex sex illis, ubi eadem verba inveniuntur apud Plutarchum locis quattuor ex Theopompo fluxisse postea apparebit [I, 219, 25 (Themist. cap. 2) *ἀπὸ τῶν μαθημάτων γινόμενος*, II, 399, 9 (Lysand. cap. 16) *ἀπὸ τούτων γενόμενος*, Moral. I, 722, 12 (de gen. Socr. cap. 32) *γενόμενοι δ' ἀπὸ τούτων*]. Sed cum Moral. II, 885, 35 (Quaest. conviv. VIII, 6, 4) *ἀπὸ τῶν πράξεων γενομένοις* et Moral. II, 1370, 11 (adv. Colot. cap. 24) *γενόμενος δ' οὖν ἀπὸ τῶν παλαιῶν* — nam Moral. I, 49, 42 (de aud. cap. 6) *γενόμενοι καθ' αὑτοὺς ἀπὸ τῆς ἀκροάσεως* non accurate cum nostro loco convenit, quia *γενόμενοι καθ' αὑτοὺς* (cum soli essent) verba artius inter se coniungenda sunt — de Theopompo fonte cogitari non possit, nostro loco haec Plutarcho ipsi deberi prorsus negare non ausus sim.

II, 416, 15 (Lys. cap. 30) *ἐπιλαμπρύνω τὸν οἶκον*: hoc verbum eadem cum vi nullo alio loco exstat nisi Plut. IV, 137, 25 (Cleomen. cap. 13) *τὴν τράπεζαν ἐπιλαμπρύνω* et Dionys. H. Art. Rhet. 9. — ibid. *εἰς χρημάτων λόγον* (= quantum pertinet ad divitias); similia inveniuntur III, 120, 12 (Eumen. cap. 3) *εἰς ἀργυρίου λόγον*, (de quo loco postea quaeremus), II, 190, 9 (Arist. cap. 24) *εἰς ταλάντων λόγον*, V, 8, 26 (Dion. cap. 10) *εἰς ἀρετῆς λόγον*; hi autem loci Theopompo adiudicandi sunt.

III, 176, 20 (Agesil. cap. 31) *ῥεῦμα καὶ κλύδων πολέμου*: eadem verborum coniunctio in eadem fere narratione exstat Moral. I, 261, 26 (Apophth. Lacon. 74) *μετὰ τοσούτου ῥεύματος καὶ κλύδωνος*. (Ceterum Apophthegmata Laconica, in quibus haec reperiuntur, Pseudo-Plutarchea esse R. Volkmann, „Leben, Schriften und Philosophie Plutarchs" demonstravit); sed similis offertur etiam I, 448, 19 in vitae Coriolani cap. 32: *καθάπερ ἐν χειμῶνι πολλῷ καὶ κλύδωνι τῆς πόλεως*; itaque illa coniunctio non plane abhorret ab usu Plutarcheo.[7])

[7]) Semel moneo, quod de similibus casibus omnibus valere puto, orationis proprietates, quae in Plutarchi libris inveniantur, non paucas ex iterata Theopompi lectione explicandas videri. Quodsi quis igitur stili Plutarchei originem accuratius indagaturus sit, eum sperare videor inprimis, quantum a Theopompo didicerit Plutarchus, perquisiturum esse.

IV, 221, 24 (Demosth. cap. 14) *κατηγορίαν προβάλλεσθαι ἐπί τινα*; nullo alio loco inveni hanc verborum coniunctionem; neque IV, 221, 30 (ibid.) *παρ' οὐδὲν τίθεσθαί τι* Plutarcheum videtur, cum II, 198, 9 (Cato mai. cap. 3) *παρ' οὐδὲν ποιεῖσθαι*, II, 311, 13 (Pyrrh. cap. 21) *εἰς οὐδὲν τίθεσθαι*, III, 195, 14 (Pompei. cap. 8) *εἰς οὐδένα λόγον τίθεσθαι*, Moral. I, 102, 17 (de prof. in virt. cap. 17) *ἐν οὐδενὶ τίθεσθαι* scriptum sit, nusquam autem *παρ' οὐδὲν τίθεσθαι*. Haec tamen verborum coniunctio cum a Suida sic proferatur: *παρ' οὐδὲν θέμενος τοῦτο. ἀντὶ τοῦ καταφρονήσας, παραλογισάμενος. τὰς σπονδὰς πατήσας καὶ τοὺς ὅρκους παρ' οὐδὲν θέμενος Ἀλέξανδρος Πελοπίδαν καθείρξας ἐφρούρει*, illa quae exempli causa fiunt verba *τὰς σπονδὰς — ἐφρούρει* ex Theopompo desumpta esse probabiliter coniecit vir illustrissimus Aemilius Heitz: nam et argumentum ad illum scriptorem quadrat et quod eadem res cum abundantia quadam verbis *τὰς σπονδὰς πατήσας* et *τοὺς ὅρκους παρ' οὐδὲν θέμενος* exprimitur, id illius stili proprium esse videtur. Adde quod vox *πατεῖν* tam raro hac cum vi adhibetur (nam quantum video praeter Aesch. Eum. 110. Ag. 371. Soph. Ant. 745. Ai. 1335. Apollon. Arg. 2, 17. Aristoph. Vesp. 377. Arrian. ap. Suid. s. v. *Δεξιός* vix occurrit), ut nota quaedam ac vestigium certi auctoris existimanda esse videatur; et duorum locorum, quibus Plutarchus illa voce utitur, unum (Moral. II, 423, 44 de glor. Athen. cap. 2) ad Theopompum redire posse primo obtutu verisimile est, alterum (vit. Timol. cap. 14 II, 14, 19) ex eodem derivatum esse ipse in capite IX ex aliis causis conieci. — In prodigii narratione V, 20, 29 (Dion. cap. 24) a Theopompo sumpta maxime redolet eius orationem synonymorum coniunctio *ἀρχὴ καὶ δυναστεία* (21, 9), quae et ipsa I, 317, 15 (Pericl. cap. 16), III, 179, 15 (Ages. cap. 33) in locis, quos ex eodem manasse postea demonstrabimus, exstat. Ceterum hic synonymorum cumulus, quem nec raro apud Plutarchum ipsum deprehendimus et in quo praesertim Theopompus se tamquam iactabat (cf. pag. 11) in plurimis his locis eminet, qui cum a Plutarcho servati sint, ad Theopompum ipsum referuntur auctorem: III, 152, 28 (Ages. cap. 10) *μέγιστος μὲν ἦν ὁμολογουμένως καὶ τῶν τότε ζώντων ἐπιφανέστατος*, 176, 21 (Ages. cap. 31) *τὰ μέσα καὶ κυριώτατα — τὰς ἀπειλὰς καὶ μεγαλαυχίας — προκαλουμένων καὶ κελευόντων*; IV, 227, 13 (Demosth. cap. 21) *οὐ ταπεινῶς οὐδ'*

ἀγεννῶς; V, 21, 4 sq. (Dion. cap. 24) *ἀποστάσεως καὶ ἀπειθείας* — *καιρῶν ἀνιαρῶν καὶ πονηρῶν* — *ἀφανισμὸν καὶ κατάλυσιν*. — Itaque cum in his locis tam exiguis nonnulla verba Theopompea et quae propria ac tamquam notae eius orationis sint, a Plutarcho conservata esse constet, etiam in aliis licet sperare, quibus Theopompum fontem esse appareat, eius vestigia orationi impressa ac tamquam inusta cognitum iri.

Caput IV.

PERICLES ET CIMON.

Praemissis igitur eis, quae tamquam prooemii loco de universa Theopompi oratione et arte dicenda esse videbantur, legibusque expositis, quas in hac quaestione observandas esse censeam, ex singulis vitis primum de Pericle et Cimone quaeramus, cum de his accuratis Sauppii („Die Quellen Plutarchs für das Leben des Pericles" Gottingae 1867) et Ruehlii („Ueber die Quellen des Plutarchischen Pericles" in annal. philolog. 1868 vol. 97 pag. 657—674 et „Die Quellen Plutarchs im Leben des Kimon", Lipsiae 1867) disputationibus firmum quoddam ac stabile fundamentum iactum sit. Nam Sauppe (pag. 34) et Ruehl (pag. 658 sq.) consentiunt summam eorum quae in Periclis vitae cap. 3—8 de Periclis parentibus, specie, praeceptoribus, ingenio, consiliis, eloquentia tradantur, ex Theopompo fluxisse, exceptis videlicet illis verbis quae aliunde deprompta esse appareat. Quorum sententia optime confirmatur testimonio Dionysii qui l. l. haec tradit: *τελευταῖόν ἐστι τῶν ἔργων αὐτοῦ* (scil. Theopompi) *καὶ χαρακτηριστικώτατον . . . τὸ καθ' ἑκάστην πρᾶξιν μὴ μόνον τὰ φανερὰ τοῖς πολλοῖς ὁρᾶν καὶ λέγειν, ἀλλ' ἐξετάζειν καὶ τὰς ἀφανεῖς αἰτίας τῶν πράξεων καὶ τῶν πραξάντων τὰς διανοίας καὶ τὰ πάθη τῆς ψυχῆς*. Quibus verbis persuadetur nobis in omnibus vitae privatae, indolis, morum, habitus descriptionibus quae apud Plutarchum exstent quaeque ad viros a Theopompo descriptos pertineant, num forte hic fuerit auctor, inquirendum esse.

Itaque etiam quae in cap. 3 de somnio Agaristae traduntur, quamquam verba paene congruunt cum Herodoto (VI, 131), Theopompo vindicem. Quid enim veri est dissimilius, quam Plutarchum,

qui unum praecipue sequi soleret scriptorem, ut hanc unam atque exiguam et casu quodam ab Herodoto allatam rem commemoraret, eius libros perlegisse, quem ne locupletem quidem auctorem se existimare ipse saepius declaraverit? Theopompum autem quamquam epitomam illam Herodoti, quam Suidas commemorat, duobus libris comprehensam scripsisse cum ab aliis tum nuper ab Hachtmanno (De Theopompi Chii vita et scriptis Detmold. 1872) iure negari mihi videtur, tamen Herodoti opus et legisse diligenter et in suum saepius usum convertisse eiusdem Hachtmanni argumentationibus comprobatur: is enim epitomam illam nihil aliud esse censuit (pag. 17 sq.) nisi libellum a recentiore scriptore ita compositum, ut omnes, quae per Theopompi Philippica, maxime autem per libros octavum et nonum dispersae ac praecipue ex Herodoto depromptae essent fabulae excerperentur. Accedit quod Theopompum, cum tot et tanta opera componeret, scriptorum fontium verba passim transscripsisse haud iniuria subnascitur suspicio. Num vero quae de artificibus et poëtis Atticis commemorantur, ex eodem manaverint, infra in cap. 8 pertractando quaeremus.

In notis autem et vestigiis orationis Theopompeae primum numeraverim initio capitis tertii verbi *ἔγγονος* (= neptis) usum, qui cum neque in Theopompi fragmentis neque apud Plutarchum alibi occurrat, nescio an Theopompi proprius existimandus sit; deinde verba *τὰ μὲν ἄλλα τὴν ἰδέαν τοῦ σώματος ἄμεμπτον* et *προμήκη δὲ τὴν κεφαλήν,* cum liberum quo insignia sunt, accusativi usum apud Theopompum saepissime inveniri pag. 9 ostenderimus, eidem videntur tribuenda; quamquam magnam habent similitudinem cum verbis *τὴν ἰδέαν οὐ μεμπτός,* quae eadem cum notione II, 476, 14 (Cim. cap. 5) ab Ione poëta repetita sunt; neque vero haec cum ei capiti sint immixta, quod totum ex Theopompo fluxisse a Ruehlio demonstratum est, iam ille ex Ione transscripsisse putandus est; certa enim desunt documenta. Sane hic poëta tam saepe et in tot vitis a Plutarcho citatur tantique habetur, ut quin opera eius ipse passim inspexerit atque transscripserit, dubitari non possit (cf. Ruehl „Quell. des Cim.“ pag. 29—37), cum praesertim fere omnibus illis locis poëticae dictionis quaedam species lateat. Iam vero cum neque abhorreat hic locus ab iis, quae Ionem scripsisse scimus, et in vita Periclis cap. 5 et 28 idem fons adhibitus sit, atque insuper quae ibi dicuntur optime cum nostro loco conspirent, quid obstat quominus contendamus Ionem

non modo eorum quae cap. 3 de Periclis natura tradantur auctorem fuisse sed, cum eum scriptorem, qui sicubi adhibeatur non nominetur, plerumque in praecipuis illius vitae fontibus numerandum esse constet, etiam aliis locis esse transscriptum? Cui rei convenienter et Sauppe (pag. 29): „Ohne Zweifel, inquit, gehört ihm (scil. Ioni) von dem, was über jene Zeiten, die er selbst erlebte, auf uns gekommen ist, viel mehr an, als mit ausdrücklicher Nennung seines Namens überliefert wird“, et (pag. 31): „Dass endlich Plutarch nicht Ion als seinen Gewährsmann in diesem ganzen Capitel (cap. 12) genannt hat, entspricht der Gewohnheit desselben, gerade die Quelle, welcher er beistimmend folgt, nicht zu nennen“; et Ruehl (Cim. pag. 38) haec contendit: „Jedenfalls dürfte Ion in der Biographie des Pericles häufiger zu Grunde liegen als in der des Kimon.“ Itaque cavendum est, ne Theopompo nimis multa temere adiudicemus. Id denique commemoro, si quis Ione Chio Theopompum populari hic illic auctore nixum esse censeat, id mea quidem sententia non absque omni probabilitate positum videri.

In capite quarto quae exstet Periclis cum athleta comparatio: *τῷ δὲ Περικλεῖ συνῆν καθάπερ ἀθλητῇ τῶν πολιτικῶν ἀλείπτης καὶ διδάσκαλος* (301, 27), eam a Theopompo in deliciis haberi his locis significatur: fragmento Theopompeo 249: *ἀλλὰ καὶ τῆς ἄλλης ἀδικίας καὶ βδελυρίας ἀθλητὰς ἐποίησεν*; Plut. Vit. I, 222, 10 (Themist. cap. 3): *ἐφ' οὓς ἑαυτὸν ὑπὲρ τῆς ὅλης Ἑλλάδος ἤλειφε*; II, 486, 11 (Cim. cap. 13): *Κίμων δ' ὥσπερ ἀθλητὴς δεινός*; III, 185, 20 (Agesil. cap. 38): *ὥσπερ οὐδὲ τῷ παλαίοντι ῥοπὴν ὁ μὴ κινούμενος*; ibid. 186, 31 (cap. 39): *καθάπερ πάλαισμα τοῖς πολεμίοις*; III, 137, 13 (Eumen. cap. 16): *ὥσπερ ἀθληταὶ πολέμων ἀήττητοι*, quos ad Theopompum referri posse suo quemque loco postea demonstrabimus. Obstare tamen prima specie videntur duo loci in vita Pompei (cap. 8, III, 195, 13): *ὥσπερ ἀθλητοῦ πρωτεύσαντος* et ibid. cap. 17 (204, 20) *νομίμων ἀθλητὴν ἀγώνων*, qui nisi ex fonte alieno hausti sunt, quid ex Theopompi lectione didicerit Plutarchus ad orationem suam perpoliendam et certis tamquam luminibus sententiarum distinguendam luculenter demonstrant. Alia et certa documenta orationis Theopompeae in verbis illis servata non inveni. Extrema huius capitis pars inde a verbis *ὃν οἱ τότ' ἄνθρωποι* cum philosophorum disciplinam nimis redoleat, quam ut ab historico scripta sit, ab ipso Plutarcho sine dubio

addita est, qui et multum in his studiis versatus est, et eiusmodi sententiarum longiorum cum praecedentibus coniunctione per pronomen relativum effecta saepenumero sua verba adnectit vel ex diverso auctore deprompta.

Certius in cap. 5 Theopompea cognoscuntur inprimis ex dulcedine et elegantia orationis, a qua Plutarchus magno spatio abesse solet, ex verbis artificiosius formatis atque coniunctis: *μετεωρολογίας καὶ μεταρσιολεσχίας* (quod quidem vocabulum apud Plutarchum alibi non exstat), *προσώπου σύστασις ἄθρυπτος εἰς γέλωτα καὶ πρᾳότης πορείας καὶ καταστολὴ περιβολῆς* (*καταστολή* hoc tantum loco inveni apud Plutarchum), et *πλάσμα φωνῆς ἀθόρυβον*, ex apta mirum in modum omnium membrorum atque partium dispositione, qua aurium voluptati lenocinabantur Isocratis discipuli, ex severo de plebeculae adulatione iudicio verbis *καθαρὸν ὀχλικῆς καὶ πανούργου βωμολοχίας* expresso, ex accurata Periclis virtutum oratoriarum descriptione, quae a Theopompo, quippe qui et ipse orator fuisset multasque orationes scripsisset, certo diligentissime observatae sunt, ex universo denique orationis ad omnia praecepta rhetorica conformatae colore. Quae cum ita sint, ut ex Ione qui in posteriore capite citetur, iam initium derivatum sit, fieri non potest. Num vero quae 302, 30—303, 6 de homine petulanti narrantur ad Theopompum referenda sint, cum in ipsis verbis ansa non detur, pro certo proponere non ausus sim; nec tamen quidquam obstat, quominus sic statuamus, praesertim cum eiusmodi fabellae crebro ab eo narrentur; accedit quod verba *βδελυρός* et *ἀκόλαστος* et abundans quodammodo synonymorum coniunctio saepe in eius fragmentis inveniuntur: sed cum initium capitis 6 argumenti perpetuitate cum initio capitis 5 arte cohaereat, ea quae intersunt ex alio quodam fonte hausta esse censeam. Hoc autem initium Theopompeum cum verbis *γενέσθαι καθυπέρτερος* absolvatur, pro more suo Plutarchus pronomine relativo, quid ipse sentiat de superstitione, addit (*ὅσην πρὸς τὰ μετέωρα — εὐσέβειαν ἐργάζεται*) prorsus simili modo atque eam quae sequitur narrationem de ariete unicorni ex Theopompo haustam longiore ipsius commentatione concludit (*ἐκώλυε δ᾽ οὐδέν* etc. 304, 7). Sed ne in his quidem Theopompeis certa eius orationis indicia deprehenduntur, quia et primum enuntiatum (*οὐ μόνον δὲ ταῦτα — καθυπέρτερος*) admodum breve est, et cetera cum oratione obliqua proferrentur liberius a Plutarcho commutata sunt.

Ex capite 7, quod usque ad verba ex Critolao hausta Sauppe et Ruehl Theopompo tribuendum esse consentiunt, haec vestigia eius orationis expiscari potuimus: primum 304, 22 *τὴν γλῶτταν* ε ὔ τ ρ ο χ ο ν, quod adiectivum a Plutarcho nunquam translatum ad similia vocabula adhibetur, semel Moral. II, 1252, 43 (de an. procr. in Tim. cap. 23) *εὔτροχος κύκλος* invenitur; deinde omnes fere sententiae more Theopompeo bipartitae sunt, ut bina plerumque membra artius inter se et cohaereant et opponantur (*Ἀριστείδης μὲν ἀπετεθνήκει καὶ Θεμιστοκλῆς ἐξεπεπτώκει* | *Κίμωνα δ' αἱ στρατεῖαι* etc. *δεδιὼς μὲν ὑποψίᾳ περιπεσεῖν τυραννίδος ὁρῶν δ' ἀριστοκρατικὸν τὸν Κίμωνα .... ἀγαπώμενον ὑπῆλθε τοὺς πολλοὺς ἀσφάλειαν μὲν ἑαυτῷ,* | *δύναμιν δὲ κατ' ἐκείνου παρασκευαζόμενος*); tum quod ita descriptus est Pericles, ut cum re vera magis ad partes nobilium inclinaret, tamen ut potentiam in re publica adipisceretur, plebi adularetur, cum autem eam nactus esset, nimiam gravitatem et auctoritatem prae se ferret, id optime ad Theopompum quadrare is qui diligentius animum advertet facile concedet: Theopompus enim veracior est, quam qui summam eius auctoritatem neglegat, sed se magis Cimoni quam illi favere non occultat; denique quaecunque de virorum vita privata, de corporis specie et natura conquiri poterant magna diligentia explicata sunt; ex quibus intellegitur quae ineunte capite narrentur, ea Theopompo niti auctore.

In capite 8 quamvis verba 306, 19 sq. *ἦν μὲν γὰρ ὁ Θουκυδίδης τῶν καλῶν καὶ ἀγαθῶν ἀνδρῶν καὶ πλεῖστον ἀντεπολιτεύσατο τῷ Περικλεῖ χρόνον* cum Theopompi sententia conspirare et quae sequitur eorum qui rempublicam administrent cum luctatoribus comparatio eiusdem fortasse orationem redolere videatur, tamen fallacior est horum vestigiorum species, quam ex quibus quidquam coniciatur, cum praesertim per totum caput neque singula verba neque enuntiationum dispositio ullam habeat cum Theopompi sermone similitudinem. Neque igitur ex Theopompo illud manasse crediderim. Ruehl quidem (Pericl. pag. 673) ea quae de Periclis cognominibus ex comicorum thesauris depromantur Theopompo deberi ex iis, quae Valerius Maximus VIII, 9 ext. 2 proferat, apparere opinatur; attamen primum qui Valerium Maximum cum his verbis comparaverit necesse esse ut ex eodem uterque locus fonte fluxerit, non persuasum habebit: nam cum apud illum legamus: „itaque veteris comoediae maledica lingua, quamvis

potentiam viri perstringere cupiebat, tamen in labris hominis melle dulciorem leporem fatebatur habitare inque animis eorum qui illum audierant quasi aculeos quosdam relinqui praedicabat", apud Plutarchum Periclis oratio cum rebus prorsus diversis comparatur; deinde haec quidem verba arte cum universo contextu cohaerere Ruehl iudicat; at qua tandem ratione is contextus ex fonte uno sumptus esse potest, cum quae praecedant ex Platone, haec ex Theopompo, quae sequantur ex Ione fluxisse ipse Ruehl existimet? Iam vero ut illa verba (306, 12—17) *αἱ μέντοι κωμῳδίαι — λεγόντων* omittantur, etiam aptius verba cohaerere inter se videntur. Sed cum in ineunte capite ex Platone aliquid depromptum sit, deinde ex comicis, tum verba 306, 31: *ὡς λήμην τοῦ Πειραιῶς ἀφελεῖν* verisimillimum sit ex Aristot. rhetor. 3, 10 transscripta esse (cf. Plut. vit. IV, 209, 11 Demosth. cap. 1), denique quae de Sophocle dicuntur ex Ione et quae de oratione funebri ex Stesimbroto hausta sint, haec omnia ut Plutarchus in eius scriptoris libris invenerit, qui res gestas Periclis exposuerit, fieri non potest. Nec pauca eiusmodi capita ex alienis atque diversis scriptis a Plutarcho consuta sunt, velut Themist. cap. 1 ex Phania Neanthe Simonide aliis omnia quae de Themistoclis gente circumferebantur, converrisse videtur, similiter Themist. cap. 18 facetias et dicta, quibus eius ambitio demonstratur, Pericl. cap. 3 quae comici de Periclis capite tradunt; conf. etiam Alcib. cap. 1, Pelop. cap. 2, 13, 34, Aristid. cap. 1, Cim. cap. 10: in quibus vel nominibus scriptorum allatis vel verbis: *ὥς φασιν, ἔνιοί φασιν, ἀπομνημονεύεται, λέγεται* quae de eadem re a compluribus prolata sint, conquisita deinceps enarrari significantur. Unde autem haec deprompta sunt? Neque enim putandus est omnes illos libros Plutarchus ipse inspexisse ad ius suum, ut cum Plauto loquar, confusicium efficiendum. Viam quaerenti monstrant I, 237, 31 (Themist. cap. 18) et II, 84, 13 (Pelop. cap. 2): atque hic quidem scriptum est: *ἐν μὲν οὖν τοῖς ἀποφθέγμασι τοιοῦτός τις ἦν*, illic, ubi multa fortitudinis imperatoriae exempla attulit, confitetur Plutarchus: *ταῦτα δέ μοι παρέστη προαναφωνῆσαι*; certe idcirco haec ei venit in mentem commemorare, quod in libro aliquo collecta invenit. Adde quod I, 336, 6 (Per. cap. 35) ipse declarat: *ταῦτα μὲν οὖν ἐν ταῖς σχολαῖς λέγεται τῶν φιλοσόφων.* Circumspectis igitur omnibus rebus rationibusque subductis illud consentaneum et consequens est, ex anthologiis, quae

illis iam temporibus exstarent crebrae, et in quibus virorum clarorum dicta vel de iis iudicia collecta aut mores et virtutes exemplis illorum virorum illustrata essent, omnia ea exempla hausisse Plutarchum.[8]) Quarum anthologiarum reliquias quasdam etiamnunc habemus Plutarchi vel potius Pseudo-Plutarchi[9]) Apophthegmata Laconica, Lacaenarum, imperatorum et regum, atque alia insuper latent in multis Moralium locis, ubi de virtute vel de viro aliquo multa deinceps similia et exempla enumerantur. Ceterum id quidem nulla unquam in dubitatione mihi versatur, sicubi unum vel plura poëtarum dicta afferantur quae cum argumento satis cohaereant, ea Plutarchum plerumque iam in eo scriptore invenisse, quem quoque loco secutus sit, cum praesertim ex fragmentis historicorum eluceat, quam saepe a Theopompo ipso et Ephoro poëtarum versus laudati sint. (Theop. fr. 126, 170, 184, 235, 264, 340; Ephor. fr. 29, 45, 53, 63, 76, 155).

Sed pergamus ad Per. cap. 9 et 10; de quibus una cum Cim. cap. 10 et 17 ideo agendum est, quoniam eadem ex eodem fonte sumpta continent; de quibus conferas, quae pag. 15—17 commemoravi; ita enim Plutarchus fontis verbis usus est, ut in Cimonis vita quae de Pericle tradita erant, in Periclis vita quae de Cimone, cum in altera quaque vita minoris sibi momenti esse viderentur, brevius exponeret. Itaque Per. cap. 9 (307, 28—308, 10), quibus rebus et artibus Pericles plebis animos sibi conciliaverit, accuratius ex Theopompo transscriptum esse et verbo *συνδεκάζω*, quod nullo alio loco Plutarcheo invenitur, et quae maxime in extremo capite expressae sunt magna erga Cimonem benevolentia et sententiarum dispositione secundum morem Theopompeum instituta significatur.

Quamobrem Ruehlium (Per. p. 659 et 663) contra Sauppium, qui ex levibus quibusdam differentiis alium praeterea fontem adhibitum esse coniecisset, recte disputasse censeo.

In cap. 10 (308, 17) *δι' ἔργων ἀπολύεσθαι* cum etiam Cim. cap. 17 (II, 492, 6) scriptum sit, videtur ex Theopompo fluxisse, et verba 308, 24—27 *καὶ μετάνοια δεινὴ τοὺς Ἀθηναίους — πόλεμον* religiosius transscripta esse quam Cim. 492, 14—16

[8]) Idem iam Niebuhr coniecit obiterque commemoravit in „Vorles. über alte Gesch." II. pag. 359.

[9]) cf. R. Volkmann, „Leben, Schriften und Philosophie Plutarchs." I. pag. 235.

coarguit Theopompea sententiarum coniunctio *νενικημένοι γὰρ ἐν Τανάγρᾳ — τὸν Κίμωνα.* His verbis praetermissis in Cimone capitis parte extrema inde a verbis *ὅθεν οὐδὲ τῷ πρὸς Κίμωνα* (492, 11), quae clara atque dilucida enuntiatorum dispositione et absoluto verborum *τὰ μέν — τὰ δέ* usu et artificioso verborum ordine, sono denique et gravitate excellat, paene genuina Theopompi verba contineri existimem. Contra Cim. cap. 10 (482, 22—27) Theopompo abrogem et quae de Licha dicuntur cum versibus Cratini et Critiae et dicto Gorgiae ex anthologia aliqua hausta esse puto, quod illa Lichae commemoratio propter verborum congruentiam ad Xenophontem referenda est (Memor. I, 2, 61); conf.

Plut.	Xen.
καίτοι Λίχαν γε τὸν Σπαρτιάτην ἀπ' οὐδενὸς ἄλλου γινώσκομεν ἐν τοῖς Ἕλλησιν ὀνομαστὸν γενόμενον ἢ ὅτι τοὺς ξένους ἐν ταῖς γυμνοπαιδίαις ἐδείπνιζεν	*Λίχας μὲν γὰρ ἐν ταῖς γυμνοπαιδίαις τοὺς ἐπιδημοῦντας ἐν Λακεδαίμονι ξένους ἐδείπνιζεν*

extrema autem verba *ἡ δὲ Κίμωνος ἀφθονία — ὑπερέβαλεν* a Plutarcho ipso addita esse censeam.[10])

Quae Per. cap. 10, 308, 32—309, 6 (cf. Cim. 488, 7 sq. cap. 14) de Elpinica commemorantur, utrum (cum Sauppio) ex Stesimbroto an (cum Ruehlio) ex Theopompo manaverint, quoniam in oratione ipsa indicia non apparent, iniudicatum relinquam; sed quae in Cimone narrationi illi de Elpinica certo ex Stesimbroto haustae praecedunt 487, 29—488, 7, cum Ruehlio Theopompo tribuam, quia in illis verbis orationis eius gravitas et elegantia (*ἧς οὐδένα προτιμᾶν π λ ο ῦ τ ο ν, ἀλλὰ π λ ο υ τ ί ζ ω ν ἀπὸ τῶν π ο λ ε μ ί ω ν τὴν π ό λ ι ν ἀγάλλεσθαι* deprehenditur, atque Lacedaemoniorum virtutum honestatisque Cimonis favor luculenter illustratur. Quamvis enim A. Riese loco supra laudato Theopompum non studiosum fuisse Lacedaemoniorum demonstraverit, tamen in temporibus Pericli proximis describendis, sicubi Lacedaemoniorum cum Atheniensium disciplina publica comparanda esset, cum semper veras virtutes et maxime temperantiam et simplicitatem laudaret,

---

10) Ruehl Cim. pag. 23 haec omnia Theopompo adiudicat.

Spartanorum mores eum potiores habuisse, non absonum videtur (cf. Iustin. V, 1, 6).[11]

Sed haec leviora; illud vero grave, quod egregium orationis Theopompeae exemplum offertur toto capite 11. Primum enim quae de Thucydidis et Periclis in republica administranda consiliis iudicantur (*ὥστε μὴ κομιδῇ μοναρχίαν εἶναι* 309, 32, *ὑπὸ πλήθους ἠμαυρωμένους τὸ ἀξίωμα τοὺς καλοὺς κἀγαθούς* 310, 6—8, *τῷ δήμῳ τὰς ἡνίας ἀνεὶς ὁ Περικλῆς* etc. 310, 16 sq.), cum Theopompi de republica gerenda sententiis prorsus consentiunt; deinde diligentissimum in modum colonias a Pericle missas enumerare Theopompi est, quem ex Dionysii Hal. summis laudibus (ep. ad Cn. Pomp. 6. p. 783) et ex fragmentis 117, 125, 182, 219 et multis aliis appareat summa opera magnoque sumptu de omnibus rebus accuratissima et minutissima sciscitatum esse; denique membrorum dispositione et maxime gravi copiosaque ac sonora conclusione: *καὶ ταῦτ' ἔπραττεν ἀποκουφίζων μὲν ἀργοῦ καὶ διὰ σχολὴν πολυπράγμονος ὄχλου τὴν πόλιν, ἐπανορθούμενος δὲ τὰς ἀπορίας τοῦ δήμου, φόβον δὲ καὶ φρουρὰν τοῦ μὴ νεωτερίζειν τι παρακατοικίζων τοῖς συμμάχοις* verborumque coagmentatione idem auctor significatur. Iam quae sequitur factionum in republica Atheniensium descriptio, quam Theopompus omittere poterat, cum simili a Plutarcho libenter adhibito (*ὥσπερ ἐν σιδήρῳ*) nescio an a Plutarcho ipso addita sit, cum praesertim his omissis contextus verborum et artior et aptior fiat. Quare errasse Sauppium Ruehlio concedo, cum duas hoc in capite narrationes confusas esse suspicaretur (pag. 24).

Maior inter hos viros doctos exstitit dissensio de cap. 12—14, quae Ruehl Ephoro tribuit, Sauppe Ioni. Atque quod Ruehl (l. l. pag. 670) censet ideo de Theopompo auctore cogitari non posse, quia verba *ὡς οὖν παντάπασι λυθείσης τῆς διαφορᾶς* sq. (315, 23) vel potius (ut ex iis apparet quae pag. 658 dicit) verba *τέλος δὲ πρὸς τὸν Θουκυδίδην* sq. (315, 19) referenda sint atque cohaereant cum 310, 11 (cap. 11) *ἦν μὲν γὰρ ἐξ ἀρχῆς διπλόη τις ὕπουλος ὥσπερ ἐν σιδήρῳ . . . . προαιρέσεως*, primum haec verba, quae in cap. 11 leguntur, Plutarcho ipsi dubi-

[11]) Quem quidem locum ad Theopompum redire Fricke (Untersuchungen über d. Quell. d. Plut. im Nikias u. Alkib. Lips. 1869 pag. 18) demonstravit.

tanter adiudicavi; deinde Ruehlius, si sibi constare volebat, etiam quae post ea verba sequuntur, Theopompo abrogare debebat; denique non intellego, cur haec tam arte inter se coniuncta esse censeat. Etenim in cap. 11 exponitur, quomodo Thucydides, ne nimiam in civitate potentiam adipisceretur Pericles, optimates conciliare sibi studuerit et certis de republica administranda consiliis communicatis corrobarare, in cap. 14 autem breviter de illius exsilio verba fiunt omissis omnibus illis certaminibus inter duos viros exortis, accusationibus, discordiis. Multo artius connexa esse mihi videntur verba quae leguntur in cap. 11 et in cap. 12 usque ad *τοῦτο μάλιστα τῶν πολιτευμάτων τῶν Περικλέους ἐβάσκαινον οἱ ἐχθροὶ καὶ διέβαλλον ἐν ταῖς ἐκκλησίαις* et verba *τῶν δὲ περὶ τὸν Θουκυδίδην ῥητόρων καταβοώντων* 315, 9 (cap. 14 init.). Nam cap. 11 et 12 perpetuitate argumenti optime cohaerere quis est qui neget? neque quidquam, quo hoc infirmaretur, aut a Sauppio aut a Ruehlio prolatum esse video. Porro cap. 12 init. accurata singulorum membrorum dispositio et orationi Theopompeae simillima (cf. pag. 10—11) (1. *πλείστην μὲν ἡδονὴν ταῖς Ἀθήναις καὶ κόσμον ἤνεγκε*, 2. *μεγίστην δὲ τοῖς ἄλλοις ἔκπληξιν ἀνθρώποις*, 3. *μόνον δὲ τῇ Ἑλλάδι μαρτυρεῖ* etc.) et quae his verbis exponuntur sententiae ac voluntates eiusdem auctoris idemque cum Isocrate magistro de universae Graeciae concordia et potentia sentientis signa prae se ferunt. Deinde Theopompum certamina inter Thucydidem et Periclem exorta fusius explicasse cum fragmento 98 significetur tum inde conici potest, quod Thucydides nihil de iis rebus tradidit, Theopompus autem ita historias videtur scripsisse, ut priorum scriptorum ratione habita ea potissimum, quae ab iis omissa essent, suppleret; Plutarchus contra, ut non solet secundum temporum cursum rerum gestarum causas successusque deinceps exponere sed minores potissimum et quodammodo ad delectationem aptas fabellas captare, ita ubi rediit ad Theopompum cap. 14 init. ex longa eius de contentionibus in republica exardescentibus narratione nihil aliud deprompsit nisi illud dictum Periclis 315, 11—15. Ceterum ampliorem tunc narrationem ante oculos sibi fuisse verbo *τέλος* (315, 19) invitus prodit, quod cum proxima verba fere sine ullo nexu excipiat, temere ex fonte transscriptum videtur esse. Ea autem, quibus Theopompea interrupta sunt, aliunde sumpta esse Sauppio et Ruehlio adsentior. Cuius tamen rei causas hoc modo augeri posse confido. Inepte enim duorum fontium commissura

a Plutarcho ita effecta est, ut periodo optime dispositae numerisque pulcherrime clausae verbum *βοῶντες* (311, 6) adglutinaretur, et huic uni ac levi verbo immensa quodammodo enuntiatorum moles (*ὡς ὁ μὲν δῆμος ἀδοξεῖ — ἀγάλματα καὶ ναοὺς χιλιοταλάντους*) subiungeretur; deinde oratio et sententiarum compositio a Theopompi more abhorret. Quodsi Ruehl ea ex Ephoro fluxisse censet, fortasse id obstat, quod in longo fragmento Ephori 119 ne unum quidem verbum cum Plutarcho congruit, quamquam et Plutarchus et Diodorus, qui illud fragmentum servavit, verba fontis religiose secuti videntur esse; et cum apud Plutarchum 311, 18—312, 7 (cap. 12) ob utilitatem et praestantiam Periclis consilia summa laude efferantur, Diodori verba vehementer dissonant; denique quamvis Ruehl adversetur, haec Plutarchea, postquam iterum atque iterum Ephori fragmenta perlegi, ab huius historici siccitate et tamquam ieiunitate in dicendo abhorrere cum Sauppio existimem. Sauppii autem sententia ad Ionem auctorem haec referentis tam dubia est et incerta, ut aut confirmari aut refutari vix possit.

In cap. 15, de quo Ruehl breviter egit (Per. pag. 660), Plutarchum ipsum cènsuit Sauppe uberius et fusius explicasse, quae apud Thucydidem 2, 65 invenisset; neque iniuria: abutitur enim Plutarchus magnis sententarium copiis sine arte oratoria aut dilucido nitore ita coniunctis, ut tanta periodorum quasi monstra ac moles efficiantur, quanta hoc loco legentibus obstructa est *ὡς οὖν παντάπασι* (315, 23) — *φάρμακα προςφέροντα σωτήρια* (316, 10), easque periodos permultis adeo similitudinibus verborum ornat vel onerat (*ὥσπερ πνοαῖς* 315, 32; *ὥςπερ ἀνθηρᾶς καὶ μαλακῆς ἁρμονίας* 316, 2; *μιμούμενος ἀτεχνῶς ἰατρὸν* etc. 316, 8 sq.). Adde quod plurimae similitudines in iis recurrunt, quas a Plutarcho crebro adhibitas fuisse constat (cf. Heinze: Plutarchische Untersuchungen. Berol. 1873, pag. 22—24). Extremo denique capite inde a verbis *αἰτία δ' οὐχ* (316, 19) id mihi confirmari videtur, quod supra attigi, Theopompum in rebus gestis scribendis Thucydidis libros ante oculos habuisse. Partem enim verborum Thucydidis esse et Plutarchus ipse profitetur et locus ille Thucydidis docet; contra verba *χρημάτων κρείττους*, quae illo loco non exstant, ex Theopompo adscita esse videntur cum a Plutarcho perraro usurpata sint, ab illo saepius (cf. pag. 8); accedit quod, quae de Periclis fortuna commemorantur, et altius evolantis et distincto admodum colore rhetorico

describentis ac potissimum de clarorum virorum vita privata fabellas libenter enarrantis auctoris speciem adumbratam praebent. Itaque etiam, quae inest in capite 16, Periclis rei domesticae descriptionem (317, 16 — 32) suo iure eidem tribuit Ruehl. In quo capite ea quoque quae praecedunt verba (317, 9 — 16) *καὶ ταῦτα καιρὸς οὐκ ἦν — ἐφύλαξεν ἑαυτὸν ἀνάλωτον ὑπὸ χρημάτων* notas habent dictionis Theopompeae eurhythmiam illam et sonitum verborum, quae diligenti praeceptorum rhetoricorum observatione et exercitatione efficiuntur, atque synonymorum *ἀρχὴ καὶ δυναστεία* coniunctionem, quam Theopompi esse pag. 20 demonstravimus.

In proximorum capitum oratione nullum Theopompi vestigium indagavi, neque Ruehlii sententiam comprobo, qui capita 17 — 23 quoque ad Theopompum auctorem praecipue referenda esse suspicatus est (Pericl. pag. 664 sq.). Nam quod ille affert testimonium (pag. 665), Diod. XI, 85 et 88, XII, 6 (quae quidem ex Ephoro fluxisse accuratis Volquardsenii et Collmanni [12]) disputationibus satis comprobatum est) cum Plutarcho discrepare, his differentiis ad eandem se sententiam adduci nemo patietur, qui quanta interdum levitate et Plutarchus et Diodorus fontes adhibuerint cognoverit; deinde „zumal, inquit, die Anordnung des ganzen unchronologisch ist und einen rein biographischen Character an sich trägt". Atqui ea res mirabile nihil habet: nam in Periclis vita enarranda potissimum res ab eo ipso gestas exponi quis est qui miretur? Et mihi quidem magna differentia intercedere videtur inter horum capitum habitum et priorum Theopompeorum orationem, cum et membra aliter coniuncta sint et apta partium omnium dispositio desideretur. Tum quod fabellam de lupo aëneo (321, 27 — 36 cap. 21) ex schol. Aristoph. av. 557 conicit ad Theopompum auctorem redire, profecto difficillimum videtur ex his verbis: *καλεῖται δὲ ἱερός* (scil. *πόλεμος*), *ὅτι περὶ τοῦ ἐν Δελφοῖς ἱεροῦ ἐγένετο· ἱστορεῖ περὶ αὐτοῦ καὶ Θουκυδίδης καὶ Ἐρατοσθένης ἐν τῷ θ' καὶ Θεόπομπος ἐν τῷ κε'* id eruere ex nullo alio auctore nisi ex Theopompo ea deprompsisse Plutarchum.

---

[12]) Volquardsen „Untersuchungen über die Quellen der griechischen und sicilischen Geschichten bei Diodor Buch XI bis XVI" Kiliae 1868. — Collmann „De Diodori Siculi fontibus." Diss. Marburg. 1869.

Ceterum scholiasta parum accurate videtur scripsisse, cum apud Thucydidem nihil de ea re inveniatur.

Verum multa in his capitibus conspirant cum Thucydide et Ephoro. Res enim cap. 19 expositae adeo congruunt cum Thucyd. I, 111 et cap. 23 (323, 2—9) cum Thucyd. I, 114, ut nonnulla verba vel eadem sint vel simillima. Ea autem quae apud Thucydidem non inveniantur ex Ephoro deprompta esse Sauppio (pag. 35) adsentior, cum et res itidem exponantur atque apud Diodorum (XI, 85—88) et nonnulla verba exstent, quae cum a Plutarcho perraro adhibeantur, ab Ephoro vel Diodoro saepius usurpantur (319, 24 ἐϑελοντί Diod. XI, 84. 320, 20 κατὰ κράτος et 325, 26 γενομένης δὲ καρτερᾶς ναυμαχίας frequentissima sunt apud Diodorum). Accedit ad Sauppii sententiam confirmandam, quod in extremo cap. 20 eadem iisdem fere verbis traduntur atque Alcib. cap. 17 (I, 391, 6—14). Quae cum multo artius cum rebus in Alcibiade enarratis cohaereant, illi autem loco, ubi res a Pericle bello gestae breviter ac tamquam festinanti calamo enumerantur, declamationes de Atheniensium temeritate et de Periclis prudentia minus aptae sint, casu quodam videntur Plutarcho in mentem venisse et ex alio fonte atque unde superiora hausta sint fluxisse. Cum vero verbis, a quibus cap. 7 Alcib. initium capit: Σικελίας καὶ Περικλέους ἔτι ζῶντος ἐπεϑύμουν Ἀϑηναῖοι καὶ τελευτήσαντος ἥπτοντο, auctor, quem Plutarchus secutus sit, etiam in rebus a Pericle gestis exponendis de eadem re verba fecisse significetur, eundem fuisse huius qui est in Periclis vita loci auctorem veri est simillimum. Age quoniam in vita Alcibiadis a capite 17 magna illa enarratio incipit, qua apparatus belli Siciliensis describuntur, haec ex Theopompo derivata esse negandum est, quem satis constet de illis temporibus non fusius disseruisse sed ea aut prorsus omisisse aut leviter attigisse. Itaque Frickius „Untersuchungen über die Quellen des Plutarchus im Nikias und Alkibiades“ Lipsiae 1869, pag. 56 Alcib. caput 17 Timaeo adiudicat; sed cum idem caput 18 Ephoro tribuat, quod quidem cum 17° capite perpetuitate argumenti artissime cohaeret, cumque in loco Pericleo nullo modo de Timaeo, summo iure de Ephoro cogitari possit, cumque iis quae de Timaeo pag. 56 et pag. 32—35 disputavit, sententia illa non satis comprobari videatur, [13])

[13]) Nam quod Ephorum fontem non fuisse ex eo conicit, quod is Nic. cap. 1 non nominetur, hoc nullius esse momenti inter omnes satis con-

equidem et Alcib. cap. 17 et Per. cap. 20 ex Ephoro manasse existimo.

In uno capite 22 nonnulla leguntur, quibus Ruehlii sententia firmari posse videatur. Nam cum verba 322, 2 sq. *πρῶτον μὲν γὰρ Εὐβοεῖς ἀπέστησαν . . . . πρὸς τὸν ἐν τῇ Ἀττικῇ πόλεμον* plane concinant cum Thucyd. I, 114, quae de Plistoanactis Cleandridaeque corruptela dicuntur, neque inveniuntur apud Thucydidem et ab huius iudicio videntur abhorrere; Theopompi autem proprium est, eiusmodi res enarrare, eundemque Thucydidis verba transscripta in suum usum vertisse supra coniecimus. Porro limata membrorum coniunctio contrariorumque oppositio eius orationis nervis simillima est (*πρῶτον μέν — εἶτα — πάλιν. συνάψαι μὲν εἰς χεῖρας οὐκ ἐθάρσησε — ὁρῶν δὲ τὸν Πλ.* etc.). Deinde quae de Gylippi avaritia narrantur (322, 19—23) profecto cum Theopompo conspirant atque congruunt cum Lysand. 16 et 17 (II, 399, 14—29), cuius loci se meminisse ipse profitetur Plutarchus, et cum Diod. XIII, 106; illum autem locum (in Lysandro) ad Theopompum redire postea demonstrabimus, Diod. XIII, 106 ex eodem fluxisse inter omnes constat. Sed eadem res etiam Nic. cap. 19 (III, 25, 16 sq.) et maxime cap. 28 (III, 37, 11 sq.) ex Timaeo hausta traditur atque huius quoque loci adeo singula verba (*ἀρρώστημα πατρῷον, ἐφ' ᾧ καὶ Κλεανδρίδης ὁ πατήρ* etc.) cum nostro loco consentire quis est qui neget? Denique ex Lysand. cap. 17 (II, 400, 4) et Ephori fr. 118 apparet etiam Ephorum de eadem re verba fecisse. Quae cum ita sint, neque quidquam obstet, quominus ea quae Pericl. cap. 22 enarrantur, etiam ab Ephoro tradita esse existimemus, quaestio valde impedita est atque intricata, quae tamen hoc modo explicari videtur posse, ut Plutarchum censeamus in cap. 22 inprimis Ephorum secutum esse, a quo etiam Thucydidem ad historias conscribendas adhibitum esse omnes consentiunt; cum autem in ea quae ille de Cleandrida et Gylippo referret, incidisset, eum meminisse iam in Lysandri vita eadem se tradere, itaque verba (322, 22) *ὑφ' ἧς καὶ αὐτὸς αἰσχρῶς ἐπὶ καλοῖς ἔργοις ἁλοὺς ἐξέπεσε τῆς Σπάρτης* leviter commutata ex illo loco deprompsisse; denique ineunte capite Timaeum, qui

stat; deinde Nic. cap. 12 extr. (17, 1—10), quod Timaeo adiudicavit, eaedem res similibus verbis enarrantur atque in Alcib. cap. 18, quod idem Ephoro attribuit; itaque ne sibi ipsi quidem constat.

annis a. Chr. n. 317—267 Athenis vixerit, Ephoro et fortasse etiam Theopompo auctoribus uti potuisse si statuam, vagam nec quae firmis adminiculis fulciri possit sententiam me proferre concedo: sed ita si statuitur, etiam Frickii de cap. 17 Alcibiadis sententia, quam paullo supra refutavi, defendi potest neque prorsus alio modo res tam dubia in luce videtur collocari. Theopompeae autem orationis habitu, quem initio capitis deprehendi supra dubitanter suspicatus sum, casu quodam existimo illa verba insignia esse, cum res deinceps gestae a quolibet scriptore simili modo enarrari possint. Ceterum his quae de Gylippi avaritia narrantur, adeo delectatus est Plutarchus, ut praeter eos, quos attuli, locos etiam comp. Timol. et Aemil. 2 (II, 81, 3) et Moral. I, 11, 42 (de educ. puer. cap. 14) eiusdem mentionem faceret.

Postremo suspicor in cap. 17 psephismatis servatas esse reliquias. Nam verba *πάντας Ἕλληνας τοὺς ὁπήποτε κατοικοῦντας Εὐρώπης ἢ τῆς Ἀσίας παρακαλεῖν καὶ μικρὰν πόλιν καὶ μεγάλην, εἰς σύλλογον πέμπειν Ἀθήναζε τοὺς βουλευσομένους περὶ τῶν Ἑλληνικῶν ἱερῶν, ἃ κατέπρησαν οἱ βάρβαροι, καὶ τῶν θυσιῶν, ἃς ὀφείλουσιν ὑπὲρ τῆς Ἑλλάδος εὐξάμενοι τοῖς θεοῖς ὅτε πρὸς τοὺς βαρβάρους ἐμάχοντο, καὶ τῆς θαλάττης, ὅπως πλέωσι πάντες ἀδεῶς καὶ τὴν εἰρήνην ἄγωσι,* grandiloqua quodammodo et sollemni illa ac tamquam lapidaria partium orationis aequabilitate et quasi integra valetudine insignia sunt, qua decreta publica excellebant; item nescio an quae de legationibus traduntur 318, 29—319, 11: *ἐπὶ ταῦτα δ' ἄνδρες εἴκοσι τῶν ὑπὲρ πεντήκοντα ἔτη γεγονότων ἐπέμφθησαν. ὧν πέντε μὲν Ἴωνας καὶ Δωριεῖς τοὺς ἐν Ἀσίᾳ καὶ νησιώτας ἄχρι Λέσβου καὶ Ῥόδου παρεκάλουν, πέντε δὲ τοὺς ἐν Ἑλλησπόντῳ καὶ Θρᾴκῃ μέχρι Βυζαντίου τόπους ἐπῄεσαν, καὶ πέντε ἐπὶ τούτοις εἰς Βοιωτίαν καὶ Φωκίδα καὶ Πελοπόννησον, ἐκ δὲ ταύτης διὰ Λοκρῶν ἐπὶ τὴν πρόσοικον ἤπειρον ἕως Ἀκαρνανίας καὶ Ἀμβρακίας ἀπεστάλησαν· οἱ δὲ λοιποὶ δι' Εὐβοίας ἐπ' Οἰταίους καὶ τὸν Μαλιέα κόλπον καὶ Φθιώτας Ἀχαιοὺς καὶ Θεσσαλοὺς ἐπορεύοντο συμπείθοντες ἰέναι καὶ μετέχειν τῶν βουλευμάτων ἐπ' εἰρήνῃ καὶ κοινοπραγίᾳ τῆς Ἑλλάδος* ex monumento in lapide insculpto ita descripta sint ut paullum mutarentur. Quae utrum ab ipso Ephoro tradita fuerint an aliunde deprompta, hoc loco diiudicare non ausim. —

Sed transeamus ad reliqua capita (33 seq.), quorum cum fontem praecipuum Thucydidem esse constat, tum ex aliis auctoribus multa inserta sunt. Quorum quidem Ruehl censet aliquam partem ad Theopompum redire, cum propria et singularis rerum gestarum coniunctio Theopompeo dicendi generi, quod aliis locis deprehendatur, simillima sit (Per. pag. 669 extr.): et profecto in capite 34 verba *νῦν δὲ πρῶτον μὲν ἡ λοιμώδης* e. q. s. usque ad finem capitis (335, 8—23) et quae cap. 36 (336, 25—32) de Xanthippo filio et (337, 19—28) de morte Parali referuntur, magnam habent similitudinem cum orationis Theopompeae indole, cum membra plurima particulis *μὲν - δὲ* segregentur et accurate ac perspicue inter se opponantur. Quae tamen praeterea vel ex verbis vel ex rebus documenta afferam, non habeo. Quae denique in capite 37 (338, 1—4) de Pericle maerente et de Alcibiade consolante commemorantur, singularem habent similitudinem verborum cum Ephori fragmento 119, quamquam res prorsus diverso ibi tempore gesta esse dicitur. Sed talia discrimina Plutarchi fontes investiganti non magni sunt existimanda cum aliis locis tum hic, ubi ex variis auctoribus fabellas ille collegit. Itaque haec, nisi quid aliud obstet, Ephoro tribuenda censeam.

Vitam Cimonis Theopompo praecipuo auctore niti Ruehl ingeniose demonstravit. Cuius argumentatio cum artificiose expolita sit[14]) et ex iis, quae supra pag. 13 sq. exposui appareat. sicubi nulla in verbis inveniantur fontium vestigia, hanc non sufficere causam, cur illum locum ei auctori, qui quoque loco aliis ex rebus fons cognoscatur, abrogemus, nunc quae eiusmodi in verbis occurrant vestigia Theopompea breviter explicabo.

Clarissimum exemplum eius orationis exstat in capite 7 (II. 478, 7—15): *πρῶτον μὲν οὖν αὐτοὺς μάχῃ τοὺς Πέρσας ἐνίκησε καὶ κατέκλεισεν εἰς τὴν πόλιν· ἔπειτα τοὺς ὑπὲρ Στρυμόνα Θρᾷκας, (ὅθεν αὐτοῖς ἐφοίτα σῖτος), ἀναστάτους ποιῶν καὶ τὴν χώραν παραφυλάττων ἅπασαν εἰς τοσαύτην ἀπορίαν τοὺς πολιορκουμένους κατέστησεν, ὥστε Βούτην* etc. In quibus hoc tantum a Plutarcho commutatum puto, ut enuntiata

---

[14]) Nam quae Rummler (De fontibus et auctoritate Plutarchi in vita Cimonis, Liegn. 1867) disputavit, iis non convictus sum, ut a Ruehlio (in dissertatione supra dicta) discederem.

ἔπειτα τοὺς . . . . ἀναστάτους ἐποίησε καὶ τὴν χώραν παρεφύλαξεν ἅπασαν· (καὶ?) εἰς τοσαύτην (δ'?) ἀπορίαν — κατέστησεν, ὥστε Βούτην etc. (ita fere suspicor a Theopompo scripta esse) participiis ποιῶν et παραφυλάττων adhibitis in unum coniunxerit. Quae si recte restitui, haec verba simillime disposita esse videbuntur fragmentis Theopompi 133, 135. Duae enim breviores enuntiationes accurate inter se respondentes: { πρῶτον μὲν — / ἔπειτα — τοὺς

{ αὐτοὺς μάχῃ τοὺς Πέρσας — ἐνίκησε — καὶ κατέκλεισεν / ὑπὲρ Στρυμόνα Θρᾷκας — ἀναστάτους ἐποίησε — καὶ

{ εἰς τὴν πόλιν / τὴν χώραν παρεφύλαξεν ἅπασαν tertia maiore et copiosiore concluduntur et quasi exaggerantur; verba autem singula optime quadrant ad Theopompi usum. — Similiter membra coniuncta nec minus perspicue disposita sunt cap. 6 (476, 30—477, 7): πρῶτον μὲν ἐν ταῖς στρατείαις ἀεὶ παρεῖχε τοὺς πολίτας κόσμῳ τε θαυμαστοὺς καὶ προθυμίᾳ πολὺ πάντων διαφέροντας· ἔπειτα Παυσανίου τοῖς μὲν βαρβάροις διαλεγομένου περὶ προδοσίας καὶ βασιλεῖ γράφοντος ἐπιστολάς, τοῖς δὲ συμμάχοις τραχέως καὶ αὐθαδῶς προσφερομένου καὶ πολλὰ δι' ἐξουσίαν καὶ ὄγκον ἀνόητον ὑβρίζοντος, ὑπολαμβάνων πρᾴως τοὺς ἀδικουμένους καὶ φιλανθρώπως ἐξομιλῶν ἔλαθεν οὐ δι' ὅπλων τὴν τῆς Ἑλλάδος ἡγεμονίαν ἀλλὰ λόγῳ καὶ ἤθει παρελόμενος.

Verba non genuina esse Theopompi sed a Plutarcho aliquanto in brevius contracta docent genitivi absoluti Παυσανίου διαλεγομένου καὶ . . . γράφοντος . . . προσφερόμενου. Attamen tria illa membra, quibus more Theopompeo „tanquam in orbe inclusa currit oratio“ eo facilius recognoscuntur, quod in vita Aristidis cap. 23 (II, 188, 13—20) verba fere eadem scripta sunt. Maxima autem quae exstat differentia, quod haec uno loco de Cimone, altero de Aristide traduntur, ita videtur orta esse, ut Plutarchus, quem in Cimonis vita conscribenda paene ad sidera efferret, eum non voluerit Aristidi quodammodo subiunctum esse, itaque verba a Theopompo de Aristide dicta in Cimonis vita ad hunc describendum usurpaverit. Etenim re vera ab Aristide hae res sunt gestae. Accedit quod ne nostro quidem loco maiore auctoritate fuisse Aristidem quam Cimonem prorsus reticetur, verum 476, 24 verbis

οὐχ ἥκιστα δὲ αὐτὸν ηὔξησεν Ἀριστείδης . . . et 477, 7 *προσετίθεντο γὰρ οἱ πλεῖστοι τῶν συμμάχων ἐκείνῳ τε καὶ Ἀριστείδῃ* significatur. Utro autem loco verba Theopompi religiosius servata sint, vix diiudicari potest. Certa quidem Theopompi haec exstant vestigia: membrorum conexus in Cimone hic: *πρῶτον μὲν . . . . διαφέροντας· ἔπειτα* [*δὲ*] . . . *ὑπέλαβ*[*ε*] . . . *ἐξομιλῶν* [*καὶ τοῦτον τὸν τρόπον*] *ἔλαθεν* etc.), et in utroque loco quae congruunt verba (*πράως καὶ φιλανθρώπως ἐξομιλῶν ἔλαθεν οὐ δι' ὅπλων . . . τὴν ἡγεμονίαν . . . παρελόμενος*) et quae saepius occurrit synonymorum quasi abundantia et egregius ille ordo perspicuitasque sententiarum, et apta partium omnium dispositio contrariorumque oppositio.

Ea quoque, a quibus narratio Theopompi incohatur in capite 4, notas quasdam eius orationis continent, cum membra particulis *μὲν-δὲ* saepius incidantur, cumque verbis *ἄτακτος καὶ πολυπότης* multa similia in eius fragmentis inveniantur. Item cap. 5 (475, 29—476, 1) optime ad Theopompum quadrat summo studio mores et ingenia virorum perpendentem. Neque vero in capite 11, quamquam more Plutarcheo complura enuntiata in unam immensam comprehensionem contracta sunt, omnia fontis vestigia deleta sunt, sed ita currit oratio, ut membra brevia et incisa bina opponantur, cuius elaboratae concinnitatis consectatione Theopompum insignem fuisse constat. Deinde qua hoc caput finitur conclusio et numeris astricta est et gravitate ac copia magnopere excellit, quibus similes sententias quae in Pericle inveniuntur insignes esse supra diximus. Simili modo Theopompi oratio significatur cap. 15 (488, 24) verbis *εἰς ἄκρατον δημοκρατίαν ἐνέβαλον τὴν πόλιν*, quibus iam A. Ecker (Plutarchi Cimon. Traiecti ad Rhenum 1843 pag. 127) notavit „violentam res novas moliendi omniaque perturbandi rationem acerrime exprimi", et praesertim eorum quibus tanquam tota vita concluditur (cap. 19, 494, 22 – 495, 3) verborum gravitate, sono, perspicuitate, quae ita laudat Ruehl (Cimon pag. 24): „Ohne Zweifel theopompisch ist endlich der Schluss der Biographie, der den Kimon feiert als Panhellenen und Sieger über die Barbaren, der ihn den späteren Staatsmännern entgegenstellt, die in Kriegen der hellenischen Staaten unter einander die Kraft der Nation verzettelten. Die Zeit Philipps und Alexanders spricht aus diesen Worten, der neu aufflammende Perserhass spiegelt sich in ihnen, die Schule des Isocrates ist es, die wir aus ihnen hören etc."

Adde quod in iisdem invenitur periodorum illa compositio membrorumque oppositio et artificiose implicitus verborum ordo: *οὐδὲν ἔτι λαμπρὸν ὑπ' οὐδενὸς ἐπράχθη στρατηγοῦ τῶν Ἑλλήνων,* quo inprimis numerus oratorius efficitur, qui et ipse exstat in capite 7 (478, 11) *τὴν χώραν παραφυλάττων ἅπασαν* et in capite 12 (484, 25) *βουλόμενος αὐτοῖς ἄπλουν καὶ ἀνέμβατον ὅλως ὑπὸ φόβου τὴν ἐντὸς Χελιδονίων ποιήσασθαι θάλατταν* et in capite 13 (486, 1) *καὶ κεκμηκότας ἀκμῆσιν ἐπάγειν.* In eodem capite memorabile est simile illud Theopompeum, *Κίμων δ' ὥσπερ ἀθλητὴς δεινός* (486, 11) de quo dixi pag. 23. Denique nonnulla verba, cum apud Plutarchum alio loco non inveniantur, nescio an Theopompi existimanda sint: 481, 14 *διανομεύς*; 486, 18 *δυσπίστως*; 487, 16 *κατάρρυτος* (Theop. fr. 33. Eurip. Andr. 214. Electr. 777). — Ceterum quod pag. 28 censui capitis 10 particulam (482, 22—27) Theopompo abrogandam esse, id ea quoque re confirmari videtur, quod verba 482, 30 sq. *ὁ δὲ τὴν μὲν οἰκίαν τοῖς πολίταις πρυτανεῖον ἀποδείξας κοινόν, ἐν δὲ τῇ χώρᾳ καρπῶν ἑτοίμων ἀπαρχὰς καὶ ὅσα ὧραι καλὰ φέρουσι χρῆσθαι καὶ λαμβάνειν ἅπαντα τοῖς ξένοις παρέχων* idem significant atque redeunt ad 481, 25 — 27 *τῶν τε γὰρ ἀγρῶν τοὺς φραγμοὺς ἀφεῖλεν, ἵνα καὶ τοῖς ξένοις καὶ τῶν πολιτῶν τοῖς δεομένοις ἀδεῶς ὑπάρχῃ λαμβάνειν τῆς ὀπώρας,* atque adeo accuratius cum verbis Theopompi (fr. 94 cf. Pericl. cap. 9) congruunt, ut manifestum sit his verbis Plutarchum ad fontem antea praetermissum recessisse itaque quae intersint ex alio fonte manavisse.

CAPUT V.

THEMISTOCLES ET ARISTIDES.

In vita Themistoclis cum tres loci ad Theopompum referantur (cap. 19, 25, 31), cap. 19 et 25 primo loco hic nominatur, deinde aut complures alii scriptores (cap. 19) aut Theophrastus (cap. 25) solus opponuntur, in capite 31 denique Theopompi sententia refutatur. Quod quidem haud leve momentum esse, ut hac in vita aliquantum ex Theopompo haustum esse coniciamus, ex iis apparet, quae pag. 18 dixi. Etenim cap. 19 in. Theopompus cum Themistoclem Persarum invasione repulsa ephoros Spartanos pecunia

data commovisse, ne Athenis urbi restituendae murisve aedificandis adversarentur, tradere dicatur, plurimis aliis scriptoribus opponitur, qui ephoros ab eo deceptos esse commemoraverint. Atque opponendo ipso, si quid video, praecipuus auctor fuisse significatur Theopompus; qui certe nominatus non esset, nisi ceterorum sententia omnium ab eo discederet. Atqui satis constat primarium fontem a Plutarcho plerumque non nominari. Verbis autem *γενόμενος δ' ἀπὸ τῶν πράξεων ἐκείνων*, quae propria esse Theopompi pag. 19 demonstravi, continuatur narratio de rebus ab ipso Themistocle gestis interrupta capitibus 17 et 18. Capitis 16 vero quamvis prima specie Herodotus fons esse videatur, qui VIII, 108 — 110 de iisdem rebus verba fecerit, tamen prorsus diverse res a duobus scriptoribus narrantur neque quidquam apud utrumque congruit nisi quod Themistocles pontem in Hellesponto factum abrumpendum censet et clam nuntium ad Xerxem mittit, qui illum adhortaretur ut reduceret exercitum. Contra distant praesertim inter se, quod, cum apud Plutarchum Aristidi consilium illud proponat Themistocles hunc temptaturus et dissensio inter utrumque oriatur, apud Herodotum in contione (*ἐβουλεύοντο* cap. 108) suadet Themistocles, ut statim ad Hellespontum proficiscantur, ab Eurybiade autem repugnatur. Quaeritur nunc, utrum Ephorus an Theopompus harum rerum auctor fuerit: nostro enim iure alios scriptores, quamquam Plutarchus ipse laudat, omittamus, quoniam satis constat non omnes quos nominaverit eum inspexisse, sed potissimum Herodotum, Thucydidem, Ephorum, Theopompum ad hanc vitam conscribendam adhibuisse. Atque Haebler l. l. pag. 52 nescit an illa capitis 19 pars Ephoro debeatur et (pag. 50) capitis 16 maximam partem eidem tribuit, attamen concedit tertio praeterea scriptore Plutarchum usum esse neque vero diiudicari posse, utrum illa omnia ad hunc tertium unum redeant an partim ad hunc partim ad Ephorum, neque se scire, quis ille fuerit. Equidem haud dubito tertium illum auctorem fuisse Theopompum autumare qui non solum verbis, a quibus cap. 19 initium capit, significetur verum etiam vivacitate et colore orationis, quae exstat in capite 16. Nam illud colloquentes inter se Themistoclem et Aristidem oratione directa facere, et antitheses (*τὴν Ἀσίαν ἐν Εὐρώπῃ λάβωμεν* (235, 9) inserere, et membra dimensa diligenter particulis *μὲν-δὲ, οὐκ ἔτι-ἀλλὰ, οὐ-ἀλλὰ* secernendo fervorem

quendam dare orationi cum abhorreat ab Ephori siccitate, proprium est Theopompi nitori.

Quibus de causis cum Themist. cap. 16 ex Theopompo fluxisse videatur, etiam Aristid. cap. 9 extr. et 10 in. (II, 171, 18—172, 1) eidem adiudicanda sunt; nam verba *ἀποπειρώμενος τοῦ Ἀριστείδου, λαβεῖν ἐν τῇ Εὐρώπῃ τὴν Ἀσίαν, τὴν ταχίστην ἐκβαλεῖν τὸν Μῆδον, κατακλεισθεὶς . . . ὑπ' ἀνάγκης, εὐνοῦχον ἐκ τῶν αἰχμαλώτων, φράσαι τῷ βασιλεῖ κελεύσας, περίφοβος γενόμενος* cum Themistoclis verbis congruunt. In Aristide igitur verba Theopompi in brevius contracta sunt ac paullo vehementius detorta. Attamen concedo haec obscuriora esse vestigia quam quibus Theopompum fuisse auctorem confirmetur. Neque enim deprehenditur species Theopompeae orationis certa ac suis notis insignita, nisi quis forte I, 235, 12 *καταστήσωμεν εἰς ἀνάγκην ὑπὸ δέους ἄνδρα τηλικούτων δυνάμεων κύριον* quodammodo opinetur Theopompum redolere; et recte monuit Haebler l. l. pag. 43, ut res a Graecis contra Persas gestas enarraret, id Theopompi non fuisse. — Secundo loco cum ita citetur Theopompus, ut Theophrastus ab eo dissentire dicatur (244, 10): *τῶν δὲ χρημάτων αὐτῷ πολλὰ μὲν ὑπεκκλαπέντα διὰ τῶν φίλων εἰς Ἀσίαν ἔπλει, τῶν δὲ φανερῶν γενομένων καὶ συναχθέντων εἰς τὸ δημόσιον Θεόπομπος μὲν ἑκατὸν τάλαντα, Θεόφραστος δὲ ὀγδοήκοντά φησι γενέσθαι τὸ πλῆθος*, in iis quae praecedant fontem eum adhibitum esse iure licet concludere. Sed quo tandem loco adhibitus est? Ineunte enim capite 25 verbis *ταῦτα δ' οὐκ εἰκός ἐστιν οὕτω γενέσθαι* ea quae antea Stesimbrotus de itinere a Themistocle ad Hieronem facto narravit refutantur (243, 24), cum Theophrastus a Thucydide discrepet; et ineunte capite 24 verba usque ad *ὃς βασιλεὺς μὲν ἦν Μολοττῶν* (242, 22—30) ita congruunt cum Thucyd. I, 136, ut fieri non possit quin hic fuerit auctor; nec minus ea quae 243, 8—11 leguntur (*ἔνιοι μὲν οὖν - ἐπὶ τὴν ἑστίαν καθίσαι μετ' αὐτοῦ*) ad eundem referenda sunt. Idem Haebler l. l. pag. 55 statuere mavult quam Wolfii sententiam sequi, qui (de vita Themistoclis pag. 24) Ephorum horum locorum auctorem fuisse multaque a Thucydide mutuatum opinatus est. At ea quae (242, 23 sq.) de Corcyraeorum cum Corinthiis controversia et (242, 31 sq.) de infenso Admeti erga Themistoclem animo inserta sunt, cum a Thucydide non commemorentur, ab Ephoro videntur addita esse, qui

Thucydidem sequens auctorem, cum in illo capite I, 136 verba *ὢν αὐτῶν* (sc. *Κερκυραίων*) *εὐεργέτης* et *ὄντα αὐτῷ οὐ φίλον* invenisset, qua de causa haec essent dicta perscrutatus illa inseruerit. Sed cum a Diodoro, qui Ephorum excerpsit (XI, 55, 56), prorsus nihil de iisdem rebus tradatur, hanc coniecturam in dubium vocare licet atque hunc in modum divinare, ut Plutarchum verbis Thucydidis perlectis ea quae attuli verba quasi explicaturum alium auctorem inspexisse statuamus. Ac profecto eiusmodi narrationes multo facilius in Theopompi libris invenit privatam praesertim virorum vitam describentis quam in Ephori libris res gestas ita exponentis, ut temporum ordinem sequeretur. Itaque haec ex Theopompo derivata esse videntur relationique ex Thucydide haustae similiter inserta, atque (241, 26) verba *ὁ δὲ γραψάμενος αὐτὸν προδοσίας Λεωβότης ἦν Ἀλκμαίωνος Ἀγραυλῆθεν* a Theophrasto deprompta, propterea quod, ut Haebler pag. 54 animadvertit, lexicon rhet. Cantabr. (ed. Aug. Nauck post Lexic. Vindob. pag. 338, 5) haec praebet: *συνομολογεῖ δὲ τοῖς ὑπὸ Θεοφράστου ἡ κατὰ Θεμιστοκλέους εἰσαγγελία, ἣν εἰσήγγειλεν, ὡς Κράτερος, Λεωβότης Ἀλκμαίωνος Ἀγραυλῆθεν.* Veri enim multo est similius a Plutarcho hunc scriptorem inspectum esse quam Crateri psephismatum collectionem, quamvis II, 486, 31 (Cim. cap. 13) commemoretur: *ἐν δὲ τοῖς ψηφίσμασιν, ἃ συνήγαγε Κρατερός*, cum praesertim in proximis capitibus saepius appelletur Theophrastus. Ceterum in oratione ac verbis quae exstent vestigia Theopompea non invenio.

Certiores eius reliquiae in extremo capite 22 apparent. Nam praeter hunc locum etiam Alcib. cap. 13 et Nic. cap. 11 discordiarum inter Alcibiadem et Niciam exortarum narrationi et Arist. cap. 7, ubi de Aristidis exsilio agitur, eadem fere de ostracismo expositio inserta est. Haec autem omnia ex Theopompo manasse cum fragmentis 102 et 103 significatur tum a Frickio (l. l. pag. 30 sq.) satis demonstratum est. Eo tamen a viri docti sententia discedam, quod quae Alcib. cap. 13 et nostro loco exstent verba Ephoro vix recte censet tribuenda esse. Quamquam enim Diod. XI, 55, ubi de Themistoclis exsilio verba fiunt, similia de ostracismo exponuntur (*νομοθετῆσαι δὲ ταῦτα δοκοῦσιν οἱ Ἀθηναῖοι, οὐχ ἵνα τὴν κακίαν κολάζωσιν, ἀλλ' ἵνα τὰ φρονήματα τῶν ὑπερεχόντων ταπεινότερα γένηται διὰ τὴν φυγήν*), et quamquam illos locos Plutarcheos multum inter se discrepare

perspexit, tamen cum a Diodoro prorsus diversa de instituto illo prodatur sententia, tum leviter comparatis cum Alcibiadis loco Aristidis et Themistoclis locis fieri non posse quin haec ex diversis fontibus fluxerint, cuivis manifestum erit. Nam Alcib. *κολούοντες* = Arist. *κόλουσις* = Themist. *κολούοντες*; Alcib. *παραμυθούμενοι τὸν φθόνον* = Arist. *φθόνου παραμυθία* = Themist. *παραμυθία φθόνου*; Alc. *συνήγαγε τὰς στάσεις εἰς ταὐτὸν ὁ Ἀλκιβιάδης καὶ διαλεχθεὶς πρὸς τὸν Νικίαν* = Arist. *διαλεχθέντες ἀλλήλοις καὶ τὰς στάσεις ἑκατέρας εἰς ταὐτὸ συναγαγόντες* = Nic. cap. 11 *λόγον δόντες ἀλλήλοις κρύφα καὶ τὰς στάσεις συναγαγόντες εἰς ἓν ἀμφοτέρας*; et Alc. *ᾧ κολούοντες ἀεὶ τὸν προὔχοντα δόξῃ καὶ δυνάμει τῶν πολιτῶν* idem fere significatur atque Arist. *ἐκαλεῖτο μὲν δι᾿ εὐπρέπειαν ὄγκου καὶ δυνάμεως βαρυτέρας ταπείνωσις καὶ κόλουσις* et Themist. *τῇ δυνάμει βαρεῖς καὶ πρὸς ἰσότητα δημοκρατικὴν ἀσυμμέτρους* atque *τῷ ταπεινοῦν τοὺς ὑπερέχοντας*. Quae autem a Frickio proferatur Phaeacis mentio in Alcibiade facta, eam non ab eodem scriptore, cui haec de ostracismo tribuenda sint, depromptam esse inde apparet, quod primum I, 386, 1 verbis: *φέρεται δὲ καὶ λόγος τις* et infra (386, 20) verbis: *ὥς ἔνιοί φασιν* Phaeax ille inducitur, quibus qui haec commemoraverit ei, qui ad ceteras res auctor adhibitus sit, opponitur. Ceterum ex Nic. cap. 11 (III, 16, 6) satis apparet, diversum illum auctorem non Ephorum sed Theophrastum fuisse. Aristidis vero loco oratio Theopompi videtur religiosissime servata esse; nam et res accurate atque dilucide explicantur, neque quidquam eorum quae in ceteris inveniuntur locis, omittitur, et oratio cum particulis *οὐ - ἀλλά, μέν - δέ, οὐδέν - ἀλλά* ex more Theopompeo in exigua membra apte inter se respondentia dividatur, clara fit et numerosa. Proximum autem accedit ad Aristidem locus Themistoclis de quo agitur, in quo verbis *παραμυθία φθόνου καὶ κουφισμὸς ἡδομένου τῷ ταπεινοῦν τοὺς ὑπερέχοντας καὶ τὴν δυσμένειαν εἰς ταύτην τὴν ἀτιμίαν ἀποπνέοντος* Theopompi optimatis malevolus in Athenienses animus atque orationis acerbitas fervorque luculenter significantur. Quaeritur tamen, num capitis 23, quod cum Ephori fragmento 114 simillimum sit, huic scriptori adiudicandum esse Haebler (pag. 53) demonstravit, extrema pars inde a verbis *καὶ κατεβόων μέν* (242, 11) ex Theopompo derivata sit: sane artificioso verborum ordine *κ α ὶ κ α τ ε-*

βόων μὲν αὐτοῦ Λακεδαιμόνιοι, κατηγόρων δ' οἱ φθονοῦντες et *ἄρχειν μὲν ἀεὶ ζητῶν, ἄρχεσθαι δὲ μὴ πεφυκὼς μηδὲ βουλόμενος* atque colore Theopompi potius quam Ephori oratio reddi mihi videtur. Sed cum certius nihil habeam, quod proferam, rem in medio relinquo.

Tertio loco in vita Themistoclis cum ita appelletur Theopompus, ut quae rettulerit de Themistocle per Asiam vagante refutentur (250, 15): *οὐ γὰρ πλανώμενος περὶ τὴν Ἀσίαν, ὥς φησι Θεόπομπος, ἀλλ' ἐν Μαγνησίᾳ μὲν οἰκῶν* etc., ideo mentionem eius factam esse sequitur, quia Plutarchus cum eius librum perlegeret aliquid invenit, quod a vulgato consensu abhorrere videretur; itaque in iis quae praecedunt Theopompus certo fons adhibitus esse videbitur. Atque cum cap. 30 et 31 Themistoclis itinera per Asiam facta enarrentur et praecipuo quodam studio de somnio et de donario in templo Magnae Matris posito agatur, atque Theopompus multum studii in ea re collocaverit, ut somnia et prodigia et cetera eiusmodi admirabilia explicaret donariorumque et aliorum artificiorum maximam eum habuisse rationem ex fr. 66, 69, 76, 85, 211, 283, 339, Plut. Dion. cap. 24 et ex fr. 182, 184, 125, 219 manifestum sit, ac denique cap. 29 (248, 32 sq.) cum iis quae 250, 15 a Theopompi narratione abhorrere dicuntur, optime coniunctum sit et perpetuitate argumenti cohaereat, capita 30 et 31 usque ad illa verba *οὐ γὰρ πλανώμενος περὶ τὴν Ἀσίαν* optimo iure Theopompo tribuenda sunt, etiamsi certiora ex ipsis verbis vestigia expiscari non possumus. Ceterum Haebler de his capitibus fere nihil disputat, sed cap. 28 — 30 ex Phania fluxisse iudicat, quia 246, 15 et 249, 3 is auctor citetur.

Itaque cum Plutarchus, qui potissimum Thucydidis Ephorique hac in vita secutus est auctoritatem, Theopompea passim inseruerit imprimis ad singulas res quae ad privatam vitam pertinent accuratius explicandas, non inepte quaeritur num plura hac in vita ex illo scriptore deprompta sint. Atque cum Theopompum summam operam posuisse in morum indolisque descriptionibus certissimis fragmentis evincatur, videndum est, num quid Theopompei in Themistoclis disciplinae ac naturae descriptionibus inveniri possit.

In capite 2 igitur usque ad verba *ὡς τῇ φύσει πιστεύων* (220, 8) agitur de Themistoclis pueri ingenio, de fervido eius animo, de studiis rhetoricis; secuntur breves adnotationes ex diversis scriptoribus Ione, Stesimbroto depromptae; 220, 28—221, 1

(ἐν δὲ ταῖς πρώταις τῆς νεότητος ὁρμαῖς — ἐξισταμένη πρὸς τὸ χεῖρον) fere eadem quae ante dicta sunt de eius indole repetuntur, et iterum remotae quaedam res adnectuntur; tum 221, 13 sq. (cap. 3) Themistoclis et Aristidis studia inter se opponuntur. Itaque 219, 22—220, 8 et 220, 28—221, 1 et 221, 13 sq. ét artius inter se cohaerent et ex eodem fonte manaverunt. Cum vero Wolffius (teste Haeblero l. l. pag. 57) haec capita tota ex atthidographis hausta esse suspicatus sit (de vita Themistoclis pag. 48), Haebler ipse, ad quem auctorem referenda sint, nondum se perspectum habere confitetur. Attamen aut fallor aut latent in locis notae nonnullae Theopompi: nam et 219, 22 φορᾶς μεστός apud Plutarchum in loco Theopompeo invenitur III, 120, 8 (Eumen. cap. 3, cf. cap. X)[15], et 219, 25 ἀπὸ τῶν μαθημάτων γενόμενος (cf. pag. 18 et 40), accuratam studiorum rhetoricorum descriptionem a Theopompo, Isocratis discipulo et ipso magno rhetore, depromptam esse subnascitur suspicio. Accedit quod tres illi loci ad unum omnes cum sententias parvis et bene dimensis atque numerosis et accurate inter se respondentibus membris comprehensas contineant, Theopompi genus dicendi sapiunt.

Contra in capite 3 non aeque clarae notae supersunt; attamen illae quae ibi exstant, Aristidis laudes et Themistoclis vituperationes optime conspirant cum eis, quae Theopompus de republica administranda sentiebat, atque verba (221, 25) πρᾶος γὰρ ὢν φύσει καὶ καλοκἀγαθικὸς τὸν τρόπον etc., maxime autem compotationum Themistoclis mentio et cum athleta comparatio (ἐφ' οὓς ἑαυτὸν ὑπὲρ τῆς ὅλης Ἑλλάδος ἤλειφε 222, 10; cf. pag. 23) Theopompum redolent. Ceterum quae 221, 19—22 de Themistoclis et Aristidis in Stesileum amore dicuntur, ex Aristone Ceo sumpta esse apparet ex Arist. cap. 2 (II, 162, 28).

Denique cap. 6 (224, 24—26) Epicydis demagogi descriptio cum luculentissimas Theopompeae orationis notas prae se ferat, ad Theopompum referenda est auctorem: nam verba δημαγωγὸν ὄντα δεινὸν μὲν εἰπεῖν, μαλακὸν δὲ τὴν ψυχὴν καὶ χρημάτων ἥττονα etc. simillima sunt fragmentis 21, 95 extr. et verborum coniunctio χρημάτων ἥττων Theopompo est peculiaris. Utrum autem plura ex eo fluxerint necne, in controversia versatur. Ex

[15]) Fortasse Suidas ubi Theopompi orationem describit (s. v. Ephorus) φορᾶς μεστός verba ex illius oratione excerpsit.

iis, quae Theopompo tribui, satis apparet, illum auctorem cum plerumque acerbe et inimice de Themistocle iudicasse tum maxime eius de republica gerenda consilia et cupiditates et avaritiam exprobrasse.

In vita Aristidis Theopompum adhibitum esse ex cap. 7 (168, 15—168, 31) elucet, ubi de ostracismo agitur, de quo loco supra dixi pag. 42 sq. Item de cap. 9 (171, 18—172, 1) pag. 41 et de cap. 23 (188, 13 — 23) pag. 37 verba feci. Totum autem cap. 23 ex Theopompo fluxisse inde concludendum est, quod verbis (189, 19 sq.) *ἔνθα δὴ καὶ τὸ φρόνημα τῆς Σπάρτης διεφάνη θαυμαστόν. ὡς γὰρ ᾔσθοντο τῷ μεγέθει τῆς ἐξουσίας διαφθειρομένους αὐτῶν τοὺς ἄρχοντας, ἀφῆκαν ἑκουσίως τοὺς ἄρχοντας . . . ., μᾶλλον αἱρούμενοι σωφρονοῦντας ἔχειν καὶ τοῖς ἔθεσιν ἐμμένοντας τοὺς πολίτας ἢ τῆς Ἑλλάδος ἄρχειν ἁπάσης* eius sententiae et erga Lacedaemonios benevolentia praeclare illustrantur et ea potissimum verborum structura, qua verbo *ἁπάσης* periodus finiatur, magna gravitas fervorque orationis ex more Theopompeo efficitur. Nec secus in proximo capite artificiosa verborum comprehensio 190, 1 *πένης μὲν ἐξῆλθεν, ἐπανῆλθε δὲ πενέστερος* et aequabilitas quae exstat in verbis *οὐ μόνον καθαρῶς καὶ δικαίως ἀλλὰ καὶ προσφιλῶς πᾶσι καὶ ἁρμοδίως*, et adverbium *ἁρμοδίως*, quod alio loco Plutarcheo non legitur, et 190, 9 *ἦν εἰς ἑξήκοντα καὶ τετρακοσίων ταλάντων λόγον* (cf. pag. 19) haud spernenda eiusdem indicia videntur esse. Porro 190, 13 — 19 verba, quibus demagogorum dementia pravitasque et Atheniensium luxuria acriter vituperantur, Theopompea videntur. Deinde ut in Themist. cap. 2 et 3 nonnulla verba eidem attribui, utque Sauppe (l. l. pag. 34) Periclis naturae atque indolis quae exstat Per. cap. 3 — 7 descriptionem ex Theopompo derivavit, cum haec diceret: „Die Grundzüge für die einfachen Nachrichten über die Eltern, Gestalt, Lehrer, Charakter, politische Richtung und Beredsamkeit des Perikles fand Plutarch ohne Zweifel bei Theopomp", ita quae de Aristidis indole produntur cap. 2 (162, 14 —28) et 3 eidem scriptori vindicanda sunt, cum multa et verba et res congruant cum Themistoclis loco, cumque sententiae de republica administranda cum Theopompo concinant, atque oratio currat membris concisis ac bene dimensis (162, 17 sq *ἥψατο μὲν ἀριστοκρατικῆς πολιτείας, ἔσχε δ'*

ἀντιτασσόμενον ὑπὲρ τοῦ δήμου Θεμιστοκλέα . . . τὴν μὲν εὐχερῆ καὶ παράβολον καὶ πανοῦργον οὖσαν καὶ μετ' ὀξύτητος ἐπὶ πάντα ῥᾳδίως φερομένην, τὴν δ' ἱδρυμένην ἐν ἤθει βεβαίῳ καὶ πρὸς τὸ δίκαιον ἀτενεῖ, ψεῦδος δὲ καὶ βωμολοχίαν καὶ ἀπάτην οὐδ' ἐν παιδιᾶς τινι τρόπῳ προσιεμένην) numeroque rhetorico praeclare distinguatur, cum praesertim verbum *βωμολοχία,* quamvis ab aliis quoque scriptoribus usurpetur, saepissime apud ipsum Theopompum inveniatur. Quamquam de Arist. cap. 1—5 ita statuit Bergius (Aristides. Erster Theil. Gottingae 1871), ut maxime Idomeneum auctorem Plutarchus secutus sit. Sed et quibus hanc sententiam sustinere conatur argumenta (pag. 18 - 23) dubia sunt atque ambigua, cum eodem fere iure ad Theopompum possint referri, neque iis quae pag. 37 disputat, convincor, ut fieri non posse quin Theopompus sit auctor arbitrer. — In capite 5, quod idem ex Theopompo derivatum esse censet, haec maxime eius indicia exstant, quod 166, 27 — 29 Calliae morum descriptio inserta est — etenim iam saepius vidimus, eiusmodi descriptiones ab illo libenter adspergi — et quod 165, 30 et 31 synonyma abundanter coniuncta sunt (*πείθεσθαι καὶ ἀκολουθεῖν, σεμνὸν καὶ σωτήριον*).

CAPUT VI.

NICIAS, ALCIBIADES, LYSANDER.

Quae in Niciae cap. 11 et in Alcib. cap. 13 de Alcibiadis et Niciae contentionibus et de Hyperboli exsilio memoriae produntur, ex Theopompo fluxisse et Frickius in libro supra laudato demonstravit et a me pag. 42 sq. comprobatum est. Sed in **Nicia** etiam ea verba ipsa a quibus cap. 9 incohatur cum magnam habeant cum Themist. cap. 22, Arist. cap. 7, Alcib. cap. 13 similitudinem, ex eodem hausta sunt; et quae paullo post (III, 15, 5) secuntur (*ὧν ἦν καὶ Ὑπέρβολος — ἀδοξία τῆς πόλεως*) more illo Plutarcheo quem iam notavi parum eleganter per pronomen relativum cum proximis verbis conexa eidem tribuenda sunt, quia et saepius ex Theopompo depromptae sunt tales virorum descriptiones, et inimicus eius contra plebem et demagogos animus clare significatur et artificiosa concinnaque structura verba excellunt (*ἀπ' οὐδεμιᾶς τόλμης δυνάμεως, ἀλλ' ἀπὸ τοῦ τολμᾶν εἰς δύναμιν προελθὼν* et *ἣν εἶχεν ἐν τῇ πόλει δόξαν ἀδοξία*

τῆς πολέως). Adde quod vox *κύφων* singularis est in Plutarchi libris. Certe versus Platonis comici, cum iidem Alcib. cap 13 inveniantur, iam Theopompeae relationi inserti erant. In capite 7, quod etiam Frickius Theopompeum exstimat, cum universa oratione tum maxime verbis 9, 27 *καὶ γὰρ ἄλλως εἰώθεσαν αὐτοῦ τὴν κουφότητα καὶ μανίαν φέρειν μετὰ παιδιᾶς* animus plebi demagogisque inimicissimus exprimitur, et quae de Cleonis petulantia narrantur adeo (9, 5 — 10, 3), cum Theop. fr. 99 et Plut. Moral. II, 976, 28 — 30 (Praec. ger. reip. cap. 3) concinunt, ut nostro loco fere germana Theopompi verba fideliter servata esse videantur. In capite proximo verba 10, 23 *εἰς βαρὺ φρόνημα καὶ θράσος ἐμπεσὼν ἀκάθεκτον* et quae (10, 25 – 31) de Cleonis in dicendo habitu referuntur, cum praesertim simillima sint Pericleae orationis descriptioni Per. cap. 5, Theopompea videntur. Ceterum verbum *ἀκάθεκτος* nullo alio loco Plutarcheo invenitur. — Inde a capite 2 Frickius cum Philochorum fuisse fontem principalem statueret, argumentis usus est (pag. 21) parum certis debilibusque coniecturis superpositis. Atque cap. 2 et prima pars capitis 3, nisi egregie fallor, a Philochori oratione toto ut aiunt caelo distant. Hunc enim chronographorum et logographorum more religiose temporum habita ratione, [16]), quae quoque deinceps archonte memoria digna essent gesta ab Atheniensibus, satis diligenter sed ieiuna et exili ac paene exsangui oratione enotasse fragmenta et in his inprimis 135um docent, neque vero usquam longioribus argumentationibus vel comparationum ad rempublicam administrandam et ad virorum mores pertinentium elegantiis tenue narrandi filum videtur variasse. Nostro autem loco cum copiosis verbis Thucydidis et Niciae in republica gerenda condiciones inter se comparentur et de Niciae et Cleonis consiliis ac natura et de populi Atheniensium voluntatibus disseratur, historia ad publicas rationes Theopompi more refertur. Accedit quod idem ex orationis proprietatibus cognoscitur: velut ex accurata membrorum oppositione et concinnitate (2, 26 sq. *ἐκείνων δὲ πρεσβύτερος* sq.), ex polita indolis naturaeque descriptione (3, 8 *καὶ γὰρ οὐκ ἦν αὐστηρὸν . . . . εὐτυχίᾳ τὴν δειλίαν*), ex conciso enuntiato *κατώρθου γὰρ ὁμαλῶς στρατηγῶν* (3, 12) longiori

[16]) Contra Frickius pag. 26: „Auf strenge Chronologie kommt es ihm daher nicht an."

periodo immixto, ex gravitate sonituque verborum quibus conclusio fit (3, 16) *τοῖς γὰρ πολλοῖς τιμὴ μεγίστη παρὰ τῶν μειζόνων τὸ μὴ καταφρονεῖσθαι.* Iam igitur cum cap. 3 argumenti perpetuitate artissime cum cap. 2 cohaereat atque verba usque ad *καθ᾽ ἑαυτὸν ἅπαντας* eundem fere colorem et sucum atque nonnullas notas prae se ferant Theopompeas, 2, 18—3, 28 huic scriptori adiudicanda sunt. Ea autem quae secuntur quia et placidius effluunt et prorsus diversam speciem praebent, cum Frickio Philochoro attribuam.

In Alcibiadis vita describenda Theopompum secutus est Plutarchus in cap. 13 (cf. pag. 42) et in cap. 32 ubi Duris his verbis refutatur (I, 410, 11) *ἃ δὲ Δοῦρις . . . προστίθησι τούτοις . . . οὔτε Θεόπομπος οὔτ᾽ Ἔφορος οὔτε Ξενοφῶν γέγραφεν.* Itaque Theopompus cum in eo sit auctorum numero, quibus praecipue haec vita nititur, atque adeo primo loco appelletur, certo etiam in aliis eiusdem capitibus adhibitus est. Attamen in cap. 28—32, quibus eae res exponuntur, quas a Theopompo cum Thucydidis libros continuaret, narratas esse constat, universa oratio non ea est, qua illum usum esse identidem vidimus, verum maxime Ephori redolet aequabilitatem et tranquillitatem, verba autem persaepe congruunt cum Xenophonte (cap. 27 extr. = Xenoph. Hell. I, 1, 9. cap. 28 (405, 15—19) = Xen. I, 1, 14. 409, 18—20 = Xen. I, 3, 18. 415, 16—18 = Xen. II, 1, 26). Qua de re non id sequitur, ut Plutarchus duorum scriptorum relationes in unam quandam novam confuderit sed ut Ephori, qui ipse Xenophontem transcripserit, praecipue nixus sit auctoritate, nisi quod passim, ubi quid ab illo omissum vel falso traditum videretur, Xenophontem ipsum inspexerit. Theopompum autem hic ideo secutus non est, quia his capitibus res deinceps gestae enarrandae erant, quod genus annalium in Theopompi ingenium parum conveniebat. Verum ubi de Alcibiade ipso agitur, huius oratio clare elucet. Itaque quibus verbis in cap. 32 quanto apparatu redierit Athenas exponitur, in iis statim elatio illa atque fervor erumpit, nec deest decantata illa in membris opponendis cura: 409, 31 sq. *πολλαῖς μὲν ἀσπίσι καὶ λαφύροις . . . πολλὰς δ᾽ ἐφελκόμενος αἰχμαλώτους, ἔτι δὲ πλείω κομίζων ἀκροστόλια* et quae secuntur 410, 18: *ἐπεὶ δ᾽ ἀπέβη, τοὺς μὲν ἄλλους στρατηγοὺς οὐδ᾽ ὁρᾶν ἐδόκουν ἀπαντῶντες οἱ ἄνθρωποι, πρὸς δ᾽ ἐκεῖνον*

συντρέχοντες ἐβόων, ἠσπάζοντο etc. Quare iniuria a Frickio Ephoro haec vindicata esse ex ipsius ratione argumentandi concluditur. Nam quod re ad minutissimos calculos vocata alium latere fontem in Plutarcho alium in Diodoro, Cornelio, Iustino ideo arbitratur, quod a Plutarcho ita res exponatur „die Athener seien der Ansicht gewesen, sie würden von allen früheren Verlusten verschont geblieben sein und an das Ziel aller Erwartungen und Wünsche gekommen sein, wenn sie den Alkibiades nicht vertrieben hätten", a ceteris ita: „die Athener hätten geglaubt sowohl ihr früheres Unglück als ihr späteres Glück sei das Werk des Alkibiades allein" (pag. 77), minor profecto haec discrepantia videtur quam quae ad fontes referenda sit. Ceterum haud nego ea quae Diod. XIII, 68 exstent multo melius et verbis et sententiis ad Theopompum quadrare. Sed quid, quaeso, minus mirum est quam Plutarchum, ut erat animo mollissimo et aperto pectore praeclaram rerum gestarum memoriam accipiebat, hoc loco suam admirationem effusis verbis executum esse?

Religiosius autem in cap. 33 oratio Theopompi servata est: duobus enim brevioribus membris accurate oppositis, quorum prius iterum bifariam divisum est (411, 11 sq.) *τὰ μὲν αὐτοῦ πάθη κλαύσας καὶ ὀλοφυράμενος — ἐγκαλέσας δὲ μικρὰ καὶ μέτρια τῷ δήμῳ* et *τὸ δὲ σύμπαν ἀναθείς* etc. maiori atque copiosiori membro concinnitatis velut cumulus accedit: *πλεῖστα δ' εἰς ἐλπίδας .... παρορμήσας*. Ceterum nescio an hae sententiae a Theopompo absolute positae fuerint, neque proximo enuntiato: *στεφάνοις μὲν ἐστεφανώθη χρυσοῖς, ᾑρέθη δ' ἅμα .... στρατηγός* subiunctae.

Etiam in proximo capite (34), quod Ephoro praecipue niti auctore constat, quae de restituta Alcibiadis auctoritate et de spe Atheniensium 412, 24 — 413, 2 dicuntur, cum simillima sint verbis Diodori XIII, 68 et argumento verborumque compositione Theopompum redoleant, ad hunc videntur referenda esse. Cum enim populus paene ad caelum Alcibiadem laudibus extulisse atque tyrannum libenter se laturum exclamasse dicatur, quam bene haec conveniant in Theopompum optimatem, qui vulgi inconstantiam et funditus repudiaverit et libenter notaverit, in propatulo est, et membrorum coniunctio verborumque compositio ac locutio illa memorabilis *τοῦ φθόνου κρείττων γενόμενος* (cf. pag. 8 *ἡδονῶν κρείττων*) signa sunt eiusdem orationis. Itaque Plutarchus

cum res universas ex Ephoro depromeret, singularum rerum descriptiones ex Theopompo inseruit. Eodem modo etiam in cap. 35 (413, 28 sq.) Antiochi clades ex Theopompo videtur manasse, cum nonnulla verba (*ἀκόλαστα καὶ βωμολόχα*) et Antiochi indolis descriptio eius orationem sapiant, etiamsi Frickius docet, res a Diodoro, qui Theopompum excerpserit, paullum discrepare.

Extremam vitam 416, 2—418, 10 (cap. 37 extr. — cap. 39) iam Frickius Theopompo vindicavit neque iniuria; nam praeter eas quas ille affert causas, nonnulla in verbis signa exstant Theopompea: velut 416, 4 sq. membrorum ordo et conexio: *πολλὰ μὲν ἄγων χρήματα, πολλὰ δὲ κομίζων, ἔτι δὲ πλείω καταλιπὼν* etc. et 416, 23 sq. sententiae gravitas: *ἀπερρίφη γὰρ οὐδὲν ἀδικῶν αὐτός, ἀλλ' ὑπηρέτῃ χαλεπήναντες ὀλίγας ἀποβαλόντι ναῦς αἰσχρῶς αἴσχιον αὐτοὶ τὸν κράτιστον καὶ πολεμικώτατον ἀφείλοντο τῆς πόλεως στρατηγόν*, fortasse etiam somnii mentio in cap. 39 facta.

Denique ex fabellis quibus Alcibiadis ingenium illustratur ut quae exstat 381, 29—382, 2 ex Ephoro fluxit (cf. Ephori fr. 119), ita in cap. 2 quae de eius in aurigam obstinatione commemorantur, propter orationis structuram Theopompi esse existimem. Namque membra ita conectuntur, ut constanter alterum alteri opponatur (377, 17 sq.): *πρῶτον μὲν — μὴ πειθόμενος δέ*; *οἱ μὲν ἄλλοι παῖδες — ὁ δ' Ἀλκιβιάδης*; *ὥστε τὸν μὲν ἄνθρωπον — τοὺς δ' ἰδόντας*, et, quod luculentius signum esse puto, illud quo argumentatio continetur membrum non subiunctum est, sed absolute in media periodo positum (377, 18) *ὑπέπιπτε γὰρ ἡ βολὴ τῇ παρόδῳ τῆς ἁμάξης*. Ceterum hanc narrationem Plutarchus potius ex anthologia quadam dictorum factorumque memorabilium quam ex ipso Theopompi libro videtur transcripsisse.

In L y s a n d r i vitae cap. 16 et 17 Theopompum an Ephorum praecipue secutus sit Plutarchus cum discernere non audeat Stedefeldt (De Lysandri Plutarchei fontibus dissert. Bonnae 1867 pag. 57), Frickius cap. 16 Ephoro tribuit (l. l. pag. 99), quia quae ibi narrentur discrepent cum Diod. XIII, 106. Sed quas hic affert causas eae minores sunt, quam quibus sententia eius stabiliri possit (Nach Diodor schickt Lysander den Gylippos fort, als er nach Samos geht, bei Plutarch aber, als er nach Thrakien fährt. Auch gebraucht Diod. den Ausdruck *σακία*, Plut. *ἀγγεῖα*,

und die ganze Erzählung ist verschieden). Verbis autem Plutarchi et Diodori comparatis equidem non dubito quin eiusdem uterque auctoris i. e. Theopompi vestigia presserit. Primum enim uterque eodem loco commemorat, Diodorus his verbis: *τὸν εἰς Σικελίαν τοῖς Συρακοσίοις τῷ ναυτικῷ συμπολεμήσαντα*, Plutarchus his: *τοῦ στρατηγήσαντος περὶ Σικελίαν*, Gylippum in Sicilia bellum gessisse; deinde eodem uterque modo refert Gylippum litteras pecuniis appositas ignorasse (Diod. *καὶ τούτων ἔχοντος ἑκάστου σκυτάλην ἔχουσαν τὴν ἐπιγραφὴν τὸ πλῆθος τοῦ χρήματος δηλοῦσαν, ταύτην ἀγνοήσας*, Plut. *ἀγνοήσας, ὅτι γραμματίδιον ἐνῆν ἑκάστῳ τὸν ἀριθμὸν σημαῖνον*), tum congruunt verba *ἀπέστειλεν εἰς Σπάρτην* et *ἀπέστειλεν εἰς Λακεδαίμονα*. Porro quae sunt de Lysandro apud Plutarchum verba luculentas habent notas orationis Theopompeae. Nam et iudicium de Lysandro factum cum illius sententia prorsus conspirat, cum vituperando ei intentior fuerit Ephorus; et verba *ἀνδρὶ δυνατωτάτῳ καὶ τρόπον τινὰ κυρίῳ τῆς Ἑλλάδος* (II, 399, 12) simillima sunt Theopompi fragmentis 21 et 22 et verba *ἀπὸ τούτων γενόμενος* Theopompi sunt propria (cf. pag. 18 extr.). Item initium capitis 17 propter enuntiatorum structuram (*ὁ μὲν οὖν Γύλιππος — οἱ δὲ φρονιμώτατοι*) et perplexum verborum ordinem ex eodem fluxit (cf. pag. 34). — Praeterea Stedefeldt (l. l. pag. 24—25) Theopompo capita 19—21 adiudicavit; et profecto cap. 19 initium, ubi Lysandri ambitio et superbia quodammodo excusantur, ob naturae morumque descriptionem quaesitumque verborum ordinem (*ὑπεροψίας πολλῆς ἅμα .... ἐγγενομένης τῷ ἤθει καὶ βαρύτητος*) et membrorum dispositionem (*ἀλλὰ φιλίας μὲν ἆθλα καὶ ξενίας ... θυμοῦ δὲ μία πλήρωσις*) Theopompum redolet, item verba 403, 4—11; atque quae 405, 8—10 dicuntur (*ὅτι ταῖς ἑταιρείαις τὰς πόλεις κατέχων διὰ παντὸς ἄρχει καὶ κύριός ἐστι τῆς Ἑλλάδος*) cum fr. 21 et 405, 25—31 magna Lysandri laus cum Theopompi sententia consentanea sunt. Huc accedit, quod cum Theopompus et Ephorus principales sint hac in vita fontes, de Ephoro ideo cogitari non potest, quia 405, 4 haec verba leguntur *ἣν μὲν γὰρ Ἔφορος τῆς ἀποδημίας ταύτης αἰτίαν ἀναγράφει, μετὰ μικρὸν ἀφηγήσομαι*, quae verba ad 410, 19 *Ἔφορον μὲν οὖν φησι* etc. referuntur. Sed quae maiore capitis 19 parte et toto capite 20 narrantur cum et aliquantum abhorreant a Theopompi de Lysandro iudicio (cf.

fr. 21 *σώφρων ὢν καὶ τῶν ἡδονῶν ἁπασῶν κρείττων*) neque notas praebeant eius orationis, non ausus sim illi attribuere.

Cap. 14—15 *ἔνιοι δὲ προτεθῆναί φασιν* (396, 23—398 12) Stedefeldt ex Theopompo fluxisse censet, contra quem Frickius disputat haec Ephorea esse statuens (pag. 97). Omitto utriusque causas examinare: hoc unum moneo periodi, quae est 396, 28—32, structuram (*καὶ τῶν μέν ἄλλων — Σαμίους δέ*; *πολλῶν μὲν — πολλῶν δέ*) et auctoritatis gratiaeque qua fructus sit apud Graecos Lysander, descriptionem (397, 5 sq.) aestimationemque Therameni faventem plebi demagogisque infensam (397, 25 sq.) a Theopompo vix respui. Sed cum ne Frickii quidem argumenta praetermittenda censeam, res adhuc in controversia versetur.

Certiores autem quasi ansae dantur orationis Theopompeae in capite 2; in quo accuratius singulae res exponuntur, quam ut Stedefeldti opinioni accedam „ab ipso Plutarchi ingenio ea profecta esse“ censentis propterea quod „eum ipsum hic coniunxisse quae e variis scriptoribus memoria tenuit verisimile sit.“ Atque ea quae de rebus familiaribus, de genere, de educatione commemorentur cum in compluribus vitis tum hoc loco ex Theopompo manasse non solum clara atque perspicua membrorum compositione significatur sed etiam accurata congruentia cum fragmento 21: etenim verba *κρείττονα πάσης ἡδονῆς* (383, 24) Theopompi propria sunt atque in eo ipso fragmento inveniuntur; et verba *παρέσχεν ἑαυτὸν εὔτακτον πρὸς τοὺς ἐθισμοὺς* etc. (383, 23) et *ἴδιον δὲ αὐτοῦ μάλιστα τὸ καλῶς πενίαν φέροντα καὶ μηδαμοῦ κρατηθέντα μηδὲ διαφθαρέντα χρήμασιν αὐτόν. . . . εἰσάγοντα χρυσίου καὶ ἀργυρίου πλῆθος . . . ἑαυτῷ δὲ μηδεμίαν δραχμὴν ὑπολειπόμενον* (384, 9—15) cum eius sententiis et more dicendi apte congruunt. Itaque 383, 20—384, 5 et 384, 8—15 paene purum putum Theopompum deprehendisse mihi videor. — Denique cum Stedefeldt in cap. 3—7 Ephoreae relationi immixta esse censeat quaedam, quae Theopompum redoleant, ea potissimum inveniri existimem 385, 6—14 (cap. 3 extr.), quamvis aliquantum commutata sint a Plutarcho, et 287, 13—17 (cap. 5 extr.). Callicratidae descriptionem, quippe quae simillima sit Diod. XIII, 76. — In reliqua vita — nam de fragmento Theopompeo quod est in cap. 30 supra pag. 19 verba feci — certa vestigia, quibus ille significaretur, non inveni. Ceterum dubito, num quae 411, 1 sq. (cap. 25 extr.) dicantur: *ἡμεῖς ἀναγράψομεν ἀνδρὸς*

ἱστορικοῦ καὶ φιλοσόφου λόγῳ κατακολουθήσαντες cum Stedefeldto ad Ephorum referenda sint. Nam hunc philosophum appellari mirum videtur. Contra I, 384, 15 (Alcib. cap. 10) Theophrastus ita citatur: *εἰ δὲ Θεοφράστῳ πιστεύομεν ἀνδρὶ φιληκόῳ καὶ ἱστορικῷ παρ᾽ ὁντινοῦν τῶν φιλοσόφων*, quem in capitis Lysandri 26 initio auctorem fuisse Plutarcho iam E. Curtius, Griech. Gesch. III. p. 758 (not. 82) dubitanter coniecit.

Caput VII.

AGESILAUS, PELOPIDAS.

In Agesilai vita Theopompus cum in cap. 31, 32, 33 nominetur et capitis 36 extr. auctorem eum fuisse ex fragmento 23 (= 119) cognoscatur, certe in praecipuorum fontium numero fuit. Quaeritur autem, quo loco in eius libris hae res fuerint expositae. Nam Diodorus XII, 42 et XIV, 84 certissime, ut dubitatio non detur, Theopompum tradit in Hellenicis septendecim annorum spatium usque ad pugnam apud Cnidum commissam (Ol. 96, 2. 395/4) complexum esse. Contra Polybius VIII, 13 ait, Theopompum, cum res graecas inde ubi desiisset Thucydides scribere esset aggressus, postquam ad Leuctrica tempora ac res Graeciae celeberrimas pervenisset, ipsam quidem Graeciam cum suis factis valere iussisse, commutato autem argumento Philippi res gestas inde ab eius regno scribere constituisse. Ergo si Polybii verba accurate examinabimus, hic septendecim annorum plus quam Diodorus Hellenicis Theopompi attribuisse videbitur, id quod mirum est fieri a Polybio scriptore diligentissimo. Sed utercunque recte tradidit, nullo modo ea quae Agesil. cap. 31, 32, 36 ex Theopompo fluxerunt, ex eius Hellenicis hausta esse possunt. Ex contrario si quis statuet haec ex Philippicorum libro XIII sumpta esse, in quo ille longiore excursu de Chabria, Aegyptiorum classi praefecto, de Iphicrate, Persarum copiarum duce, de bello ab Artaxerxe contra Tachum gesto, de Agesilao disseruisse videtur, ei sententiae repugnabit primum quod quae in Ages, cap. 10 afferuntur verba (III, 152, 30) certe ex Theopompi Hellenicorum libro XII manaverunt neque statuendum videtur Plutarchum in una vita, quem principalem sumeret auctorem eius libros tam diversos adhibuisse nulla hac de re significatione data. Quamquam cum illo loco dicatur: *ὡς εἴρηκέ που*

καὶ Θεόπομπος, cumque Ephori relationi immixta sint haec verba in schedarum suarum appendiculis Plutarchus videtur invenisse. Deinde ex fragmentis 11 et 23 apparet eadem atque in Plut. Agesil. cap. 36 a Theopompo et in libro III et in libro XI Hellenicorum tradita fuisse.[17]) Quae cum ita sint, mea quidem sententia id unum restat, ut ponamus, Theopompum et in Hellenicis cum ubicunque de viro quodam verba faceret etiam rerum diversis temporibus factarum sed ad eundem virum pertinentium mentionem aliquotiens fecisse, tum ubi Agesilai expeditionem in Asiam factam exponeret totam eius naturam ac vitam variis fabellis illustrasse, et in Philippicorum libro XIII continuam eius vitam composuisse; Plutarchum autem ut in Themistocle, Aristide, Cimone, Pericle ita in Pelopida, Agesilao conscribendis Theopompi excursiones Philippicis insertas adhibuisse. Vide ergo, quam recte Polybius, Dionysius Hal., Theo crebras illas excursiones Theopompo exprobraverint.

In iis autem locis Agesilai, quos ad Theopompum referendos esse manifestum est, hae fere reliquiae exstant verborum eius orationis: III, 176, 20 (cap. 31) *ῥεῦμα καὶ κλυδὼν πολέμου*, quamquam hoc simile saepius a Plutarcho usurpatur; 177, 1 (cap. 31) *αὔχημα* vocem in alio Plutarchi loco exstare non magis memini quam *προσπεριγίγνεσθαι* verbum (179, 1. cap. 32); 180, 2 (cap. 33) *τὰ ἀρχεῖα* (= magistratus) sollemne magistratuum Lacedaemoniorum videtur fuisse nomen, quia praeter hunc locum idem eadem vi positum (Pseudoplut.) Mor. I, 267, 10 (Apophth. Lacon. Archid. 1) exstat. 178, 1 et 12 (cap. 32) qui notatur Agesilai novarum rerum metus (*φοβηθεὶς τὸν νεωτερισμόν* et *σύνοδος ἀνδρῶν Σπαρτιατῶν ἐπὶ πράγμασι νεωτέροις*) cum Theopompo conspirat; deinde sententiarum oppositionem particulis *μὲν - δὲ* effectam (177, 32 – 178, 11), et 179, 15 coniunctionem verborum *ἀρχαὶ καὶ δυναστεῖαι* iam supra (pag. 20) Theopompi propriam esse vidimus; 179, 22 — 180, 8 denique quamquam a Plutarcho aliquantum amplificata atque producta videntur tamen propter fervorem orationis sonitumque et dispositionis elegantiam et pristinorum morum Lacedaemoniorum admirationem ex Theopompo derivata sunt, cum praesertim Thucydidis mentio fiat, quem quanta ille pietate coluerit, mirum est. Ceterum ut 177, 3 — 14 Plutarchus ex schedis collec-

---

[17]) cf. quae Mueller F. H. G. vol. I. p. 279 hac de re contra Wichersium disputat.

taneis excerpsisse videtur, ita in universis his capitibus non ad unum omnia ex Theopompo hausit sed quae passim apud complures invenit scriptores confudit.

In extremo capite 35 Theopompi relatio, 180, 9—182, 15 (cap. 34—35) praetermissa, repetitur; nam Agesilai ingenii descriptio, quae ibi inest, argumenti perpetuitate artissime cohaeret cum cap. 36, quod quidem Theopompeum esse apparet ex fragmentis 11 et 23; quod autem tam exposite de animo ac corpore eius verba fiunt, id apte quadrat in Theopompi morem scribendi. Orationis vero eius notae hae fere sunt: 182, 20 (cap. 35 extr.) *δέον ἀπηλλάχθαι κακῶν εἰς τοῦτο περιήκοντι τῷ καιρῷ*, cum haec coniunctio verborum eadem vi praedita alio loco non inveniatur, 182, 32 (cap. 36) *πᾶν ὑπὸ τραυμάτων τὸ σῶμα κατακεκομμένος*; 183, 15—25 bina synonyma identidem copulantur: *σπουδὴ μεγάλη καὶ προσδοκία, διὰ τοὔνομα καὶ τὴν δόξαν, λαμπρότητα μὲν καὶ κατασκευήν, εὐτελῆ καὶ μικρόν, τραχὺ καὶ φαῦλον, σκώπτειν καὶ γελωτοποιεῖν, ξενίων προσκομισθέντων καὶ προσαχθέντων* (cf. etiam pag. 13 extr.). Ceterum 183, 29 falso *Θεόφραστος* pro *Θεόπομπος* scriptum esse iam Haug (Die Quellen Plutarchs i. d. Lebensbeschreibungen d. Griechen. Tubing. 1854) et alii intellexerunt.

Ea quae secuntur capita et ipsa ex Theopompo fluxisse eadem suadet abundans quodammodo nominum coniunctio et accurata sententiarum oppositio cap. 37: *ἀλαζονεία καὶ καταφρονήσει, παρὰ τὴν ἀξίαν τὴν ἑαυτοῦ καὶ τὴν φύσιν, ὑπείκων καὶ καρτερῶν, πείθων καὶ παραμυθούμενος, σύμμαχος καὶ φίλος, εὔνους καὶ προθυμότερος, ἀτόπου καὶ ἀλλοκότου, οὔτε μανθάνουσιν οὔτε ἐπίστανται. — ὁ μὲν Χαβρίας - ὁ δὲ Ἀγησίλαος, σοὶ μὲν — ἐγὼ δέ; οἳ τοῦ μὲν Τάχω κατηγορήσειν, ἐπαινέσεσθαι δὲ τὸν Νεκτάναβιν ἔμελλον; ὁ μὲν ὡς πάλαι σύμμαχος, ὁ δὲ ὡς εὔνους; τοῖς μὲν Λακεδαιμονίοις ἀπεκρίναντο, ἐκείνῳ δὲ ἐπέστειλαν.* cap. 38: *τὴν ἀπειρίαν καὶ τὴν ἀμαθίαν, περιελθεῖν καὶ περιταφρεῦσαι, φθάσαι καὶ προλαβεῖν* etc. — *ὁ μὲν οὖν Τάχως — ἐκ δὲ Μένδητος ἕτερος; πολλοὶ μέν εἰσιν — μιγάδες δέ* et multa alia exempla. Porro haec exstant vestigia Theopompi: 185, 21 (cap. 38) proelio decertantium cum luctatoribus comparatio (cf. pag. 23) et 186, 30 (cap. 39) parva comprehensio verborum longiori periodo interposita 186, 4 *οὐ γὰρ ἦν ἐν τῷ χωρίῳ σῖτος*; et verba *τὰ μὲν γὰρ ὑποφεύγων καὶ*

ὑπάγων, τὰ δὲ ἀντιπεριχωρῶν 186, 31, cum praesertim verbum *ἀντιπεριχωρῶν* apud Plutarchum singulare sit, et 187, 22 *σχεδὸν ὅλης τῆς Ἑλλάδος ἡγεμὼν καὶ βασιλεύς.*

Ex reliqua vita 145, 14—20, 22—24, 29—146, 21 (in cap. 4 et 5) Theopompo tribuam, cum et de iis verba fiant rebus, quas potissimum Theopompum notasse constet, neque de Ephoro vel Xenophonte auctore cogitari possit, et oratio, ut est brevium membrorum oppositione insignis, ita universa sententiarum conexione Theopompum redoleat. Sed ex verbis ipsis certiora vestigia afferre non possum. Neque vero in ceteris capitibus notas eius verborum invenio, quamquam infitias non eo etiam plura ex eo desumpta esse posse velut 172, 21 sq. (cap. 27) Epaminondae descriptionem.

In vita Pelopidae cum nimis multa discrepent a Xenophonte, iam Haug („Quellen Plutarchs" pag. 59) vel Ephorum censet vel Theopompum praecipuum fuisse fontem. Uter autem fuerit ad quemque locum adhibitus, ita diiudicabitur, si singulos locos diligentius examinaverimus. — Atque quae de Thebis a Lacedaemoniorum imperio liberatis narrantur cap. 9—12 cum vehementer congruant cum Cornelii vita Pelopidae et cum Plutarchi „De genio Socratis" cap. 27—34 (Moral. I, 718, 16—723, 22), haec tria ex uno fonte fluxisse apparet, cum praesertim in duobus Plutarcheis locis verba permulta accurate concinant: Pelop. II, 90, 24 et Moral. I, 718, 16 *πεντήκοντα δυοῖν δέοντες*; Pel. 92, 7 et Moral. 719, 48 *ἐν τῇ πόλει κρύπτεσθαι διαταραχθείς*; Pel. 92, 25 sq. et Mor. 720, 40 sq. *ἧκε . . . παρὰ Ἀρχίου τοῦ ἱεροφάντου πρὸς Ἀρχίαν . . . ξένον ὄντα καὶ φίλον*; Pel. 92, 32 et Moral. 720, 48 *περὶ* (vel *ὑπὲρ*) *σπουδαίων γεγράφθαι*; praecipue Leontidae necis descriptio Pel. cap. 11 = Mor. cap. 32. Age haec quae in Moralibus legitur narratio etiamsi eo quod dialogi speciem induit, aliquanto plus alacritatis a Plutarcho ipso accepit, tamen adeo excellit vigore atque colore et ab Ephori stilo abhorret, ut ex eo hausta esse non possit; contra fere omnia quae commemoravi eaque luculenta orationis Theopompeae vestigia inveniuntur. Nam et universa paene oratio in his capitibus ita currit, ut membra breviora particulis *μὲν - δὲ*, *οὐ - ἀλλὰ* inter se opposita sint atque dichotomia segregata: et bina saepissime synonyma coniunguntur (718, 43 *πονηρὸς καὶ παλίμβολος*, 48 *κάλλιστον καὶ φιλοπονώτατον*, 49 *ῥώμῃ καὶ μεγέθει*;

719, 1 *ἀνάνδρως καὶ ἀκλεῶς*, 4 *φρόνημα καὶ καλοκἀγαθία*, 20 *ἄδακρυς καὶ ἄτεγκτος*, 21 *δεξιούμενος καὶ παραθαρρύνων*, 25 *μήτ' ὠχρίσαντος μήτ' ἐκπλαγέντος* et multa alia), et breves indolis virorum ingeniique descriptiones inseruntur (718, 46 *τὸν υἱὸν . . . κάλλιστον ὄντα Θηβαίων παῖδα καὶ φιλοπονώτατον περὶ τὰ γυμνάσια, πεντεκαιδεκάτῃ μὲν σχεδὸν, πολὺ δὲ ῥώμῃ καὶ μεγέθει διαφέροντα τῶν ὁμηλίκων*; 721, 47 *ἄδικος μὲν ἀνὴρ καὶ τυραννικὸς, εὔρωστος δὲ τῇ ψυχῇ καὶ κατὰ χεῖρα ῥωμαλέος*), et breviores sententiae quasi uncinis circumclusae periodis immiscentur (719, 17 *πολλὴ δ' ἐλπὶς ἔτι λείπεται*; 719, 31 *φθήσεσθαι γὰρ ἐμπεσόντας αὐτοῖς*; 722, 42 *οὐδεὶς δ' ἐκώλυε*; denique verba *γενόμενοι δ' ἀπὸ τούτων* (722, 12) genuina sunt Theopompea. Itaque Plutarchus in hoc libello nonnulla verba religiose ex Theopompo transcripsit. In Pelopidae autem capitibus partim minus partim plus novavit. Nam cum permulta enuntiata secundum morem Theopompeum ibi formata sunt, tum nonnulla verba, quae alibi a Plutarcho non adhibeantur, eius propria sunt existimanda (90, 29, 30 *ὕπανδρος, κάτοινος*). Ceterum utroque loco Plutarchus sua ipsius verba passim addidit.

Etiam in cap. 7 et 8 quae argumenti perpetuitate cum cap. 9 — 12 cohaerent, haec Theopompea inveniuntur vestigia: 88, 15 *οὔτε καλὸν οὔτε ὅσιον*, 21 *τόλμαν καὶ ἀρετήν*; 89, 14 *φιλικῶς καὶ πιστῶς, ὑπὲρ δόξης καὶ ἀνδρείας*, 16 *ἀσπασάμενοι καὶ προπέμψαντες*; et accurata aequalitas membrorum (88, 20 *ὡς ἐκεῖνος ἐκ Θηβῶν πρότερον ὁρμηθεὶς κατέλυσε τοὺς ἐν Ἀθήναις τυράννους, οὕτως αὐτοὶ πάλιν ἐξ Ἀθηνῶν προελθόντες ἐλευθερώσωσι τὰς Θήβας*), et membrorum oppositio particulis *μὲν - δὲ* effecta, et ingenii descriptio (89, 24 *Ἱπποσθενίδας δέ τις, οὐ πονηρὸς μέν, ἀλλὰ καὶ φιλόπατρις καὶ τοῖς φυγάσιν εὔνους ἄνθρωπος, ἐνδεὴς δὲ τόλμης . . . ἀπόροις καὶ φυγαδικαῖς ἐλπίσιν*) et conclusio quae totam hanc narrationem complectitur atque exaggerat (90, 13 *παρὰ τοσοῦτον μὲν ἦλθον αἱ μέγισται καὶ κάλλισται τῶν πράξεων εὐθὺς ἐν ἀρχῇ διαφυγεῖν τὸν καιρόν*).

Quae cum ita sint, verisimile est etiam quae praecedunt capita 3 — 6, cum et inter se et cum sequentibus arte cohaereant, ex eodem fonte manavisse; quod quidem nonnullarum sententiarum structura ad modum Theopompeum formata confirmatur: nam inprimis verba (87, 19 sq.) *ἐπεὶ δὲ Λακεδαιμόνιοι Φοιβίδαν μὲν*

ἀφείλοντο τῆς ἀρχῆς καὶ δέκα δραχμῶν μυριάσιν ἐζημίωσαν, τὴν δὲ Καδμείαν οὐδὲν ἧττον φρουρᾷ κατέσχον, οἱ μὲν ἄλλοι πάντες Ἕλληνες ἐθαύμαζον τὴν ἀτοπίαν, εἰ τὸν μὲν πράξαντα κολάζουσι, τὴν δὲ πρᾶξιν δοκιμάζουσι, τοῖς δὲ Θηβαίοις etc. triplici dichotomia distinguuntur, et in ceteris verbis idem artificium saepius exstat. Attamen multa in his capitibus a Plutarcho ipso vel addita vel commutata sunt. — Praeterea nescio an vestigium Theopompi 107, 20 sq. Meneclidae descriptione (ἦν μὲν εἷς . . . ἐπεὶ δὲ . . . τοῦ φθόνου παραμυθία (cf. pag. 43) servatum sit. Sed in his omnibus capitibus Theopompum credo non principalem fontem sed secundarium adhibitum esse, Plutarchum autem, cum ipse esset Boeotius, ex Boeotiis maxime hausisse scriptoribus Anaxi et Dionysodoro (de quibus conferas, quaeso, Muelleri F. H. G. II. pag. 84), atque ut suae patriae gloriam augeret, ipsum multa addidisse cum alia tum ea quibus Pelopidas ab Artaxerxe praeter ceteros honoratus esse dicatur (114, 1 sq. ὡς οὗτος ἀνήρ ἐστιν ὁ γῆς καὶ θαλάττης ἐκβαλὼν Λακεδαιμονίους etc.), et quibus mirum in modum oratio Boeotica celebretur (114, 10 sq. τοὺς λόγους . . . τῶν μὲν Ἀττικῶν βεβαιοτέρους, τῶν δὲ Λακεδαιμονίων ἁπλουστέρους ὄντας). Ceterum recte monuit Haug (l. l. pag. 59) in cap. 30 etiam Phaniam adhibitum esse, cum verba, quae profecto ad rem non sunt necessaria (114, 29): ὡς τῶν Ἑλλήνων οὐκ ἐπισταμένων apud Athenaeum II, 48 D ex Phania desumpta in eiusdem rei narratione proferantur (φάσκων οὐκ ἐπίστασθαι τοὺς Ἕλληνας ὑποστρωννύειν).

CAPUT VIII.

DEMOSTHENES, PHOCION.

In Demosthenis vita cum Theopompus cap. 4, 13, 14, 18, 21, 25 et Hermippus cap. 5, 11, 28, 30 nuncupentur, manifestum est, his potissimum scriptoribus per totam vitam Plutarchum ita nixum esse, ut nonnullis locis ad eorum narrationes corrigendas vel supplendas alios quoque scriptores adsumeret. — Itaque in fronte vitae ipsius i. e. cap. 4 (IV, 211, 18) Theopompus auctor nominatur, et exceptis iis quae ipse addidit Plutarchus (211, 20—24) usque ad verba ἦν δὲ ὁ Βάταλος (212, 5) hoc caput Theopompo tribuendum est; quod quidem membrorum oppositione (ἦν μὲν

τῶν καλῶν — ἐπεκαλεῖτο δέ, τὰ μὲν νοσφισαμένων — τὰ δ' ἀμελησάντων) et synonymorum coniunctione (*τῶν ἐμμελῶν καὶ προσηκόντων . . . τὴν τοῦ σώματος ἀσθένειαν καὶ θρύψιν . . . κάτισχνος καὶ νοσώδης*) et ea re commendatur, quod in his maxime privatis rebus exponendis Theopompum secutus est Plutarchus. Et cum Theopompus, qui a partibus Alexandri stabat, Demostheni adversarius esset (id ex initio capitis 13 comprobatur), etiam in cap. 14 verba (221, 13 sq.) *τῷ μὲν παρὰ Φιλίππου . . . . μεμήσασθαι δ' οὐχ ὅμοιος*, quamquam verborum quae antecedunt auctor nominatur Demetrius, ex illo sumpta esse autumo atque id non solum propter Demosthenis vituperationem verum maxime propter verborum concinnitatem ordinemque artificiosum; quibus etiam quae secuntur verba excellunt (221, 25: *ὑμεῖς ἐμοί, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, συμβούλῳ μέν, κἂν μὴ θέλητε, χρήσεσθε, συκοφάντῃ δὲ οὐδὲ ἂν θέλητε*). — Iam inde a cap. 16 tenacius Theopompum sumpsit Plutarchus auctorem. Quae enim hoc capite (223, 9—10) et cap. 20 (226, 19—22) de Philippo dicuntur satis consentiunt cum Theopompi fragmentis, ubi illius vinolentia item notatur; neque vero laude afficitur Demosthenes, sed etiam saepius (226, 14 sq. cap. 20, 230, 10 cap. 24) acriter vituperatur, et cum voluptate quadam eae, quibus demagogi Athenienses, velut Pytheas, eum insectabantur, facetiae (226, 18 sq.) notantur, contra oratoria eius vis ut ab rhetore diserte celebratur (224, 28 sq. cap. 18). Deinde universa narratione minime id agitur, ut res graecae laudibus extollantur, sed vehementer Graecis perturbationes animorum et infirmitates exprobrantur, atque 227, 13 (cap. 21) de Atheniensibus tam contumeliosa verba fiunt, ut Plutarcho ipsi refutanda videantur; porro 225, 11 sq. (cap. 19 in.) religiosa fit mentio oraculorum et prodigiorum more Theopompeo, idemque diligenti et accurata quae exstat 223, 26 sq. (cap. 17) copiarum et civitatum enumeratione manifestatur. Quid quod oratio eius stilum satis redolet? Nam saepissime sententiae, quamvis contrarium ullum iis non contineatur, particulis *μέν — δέ, οὐ — ἀλλά* opponuntur, 223, 17 sq. longior periodus ita currit, ut verbis *πρῶτον μὲν — δεύτερον δὲ — ἔπειτα* tribus partibus continuetur, quem morem loquendi fragmenta Theopompi frequenter servarunt; 224, 10 sq. verborum ordo artificiose inversus est (*ταῖς διὰ τὴν γειτνίασιν ἀψιμαχίαις ἀναξαινομένων ἑκάστοτε τῶν πολεμικῶν πρὸς ἀλλήλας διαφορῶν ταῖς*

πόλεσιν; in extremo capite 18 quamquam sententiarum compositio a Plutarcho commutata est atque in brevius contracta, apparet nihilominus magna ubertas et magnus ornatus orationis; synonymorum quoque coniunctio haud raro invenitur (224, 29 *ἐκριπίζουσα τὸν θυμὸν καὶ διακαίουσα τὴν φιλοτιμίαν*, 32 *μέγα καὶ λαμπρόν*, 226, 7 *ὑπὸ ῥώμης καὶ προθυμίας*, 20 *ἐξυβρίσας καὶ κωμάσας*, 25 *τὴν δεινότητα καὶ τὴν δύναμιν*). Itaque etiam verba *ἀνεπιτίμητος* (222, 32 cap. 16) et *ἀναξαίνω* (224, 11), quae alibi a Plutarcho non usurpantur, Theopompo nescio an debeantur, atque in cap. 16—21 exceptis 225, 9—10, 20—226, 5 paene genuina eius verba superesse existimem. Etenim dubito num 223, 30 Theophrasti nomen recte traditum sit, an potius aeque atque Agesil. III, 183, 28 a viris doctis factum est, *Θεόπομπος* scribendum sit. Continuatur autem haec Theopompea narratio capite proximo (cap. 22), mox interrumpitur verbis *ὡς ὁ Αἰσχίνης φησί* (228, 2), quibus longa Plutarchi commentatio adnectitur, tum denuo 229, 3 narratio Theopompea currit usque ad 232, 11 (cap. 26 in.), exceptis tamen iis quae 229, 24—230, 1 (in cap. 23) ex Aristobulo hausta dicuntur. In his capitibus fere eadem atque in prioribus vestigia Theopompea exstant: 227, 28 somnium commemoratur, Demostheni avaritia acerbe et maligne exprobratur (231, 17 sq.), de Graecorum consiliis libertatis recuperandae causa initis eadem atque prius acerbitate iudicatur. Deinde oratio plerumque membris haud ita longis inter se oppositis continetur, atque synonymorum coniunctiones (230, 4 *πρεσβεύσειν καὶ δεήσεσθαι*, 230, 32 *ἐβοήθουν καὶ συνέπειθον*, 231, 1 *δέχεσθαι καὶ σώζειν*, 18 *εὖ καὶ καλῶς*, 24 *ἀπολογεῖσθαι καὶ πείθειν*, 25 *χαλεπαίνοντος καὶ θορυβοῦντος*) et verborum *διαβαστάζειν* (231, 8) cum pendendi notione et *εὐφυής* (= festivus, 231, 21) usus a Plutarcheo abhorrens Theopompi sunt, praesertim cum fr. 235 *ἦν δὲ εὐφυέστατος* legatur similiter dictum. — In reliquis capitibus Plutarchus Hermippum potissimum videtur secutus esse.

In vitae Phocionis capite 21 cum eadem de Harpalo exponantur atque Dem. cap. 25, quamquam ea tantum verba congruunt, quae ad rem necessaria sunt (*μετὰ χρημάτων . . . ἀποδρὰς Ἀλέξανδρον ἐξ Ἀσίας* IV, 19, 21 = Dem. IV, 230, 27) et quamquam multa diverse narrantur, tamen haec ex Theopompo

fluxerunt. Nam illae differentiae eo effectae sunt, quod in hoc capite potissimum de Phocione agendum erat, illo loco de Demosthene. Orationis autem in illo capite Phocionis et argumentum et verba Theopompum redolent: nam spernuntur atque fastidiuntur demagogi Atheniensium (19, 23 *τῶν εἰωθότων ἀπὸ τοῦ βήματος χρηματίζεσθαι δρόμος ἦν καὶ ἅμιλλα φθειρομένων πρὸς αὐτόν*), unus Phocio, cum Alexandro faverit, laudatur; currunt sententiae membris inter se oppositis (*τούτους μὲν — τῷ δὲ Φωκίωνι; τότε μεν — μετ' ὀλίγον δέ; τοὺς μὲν εἰληφότας, Φωκίωνα δέ; αὐτὸν μὲν — Χαρικλέα δέ*); coniunguntur synonyma ita, ut singulas quodammodo notiones efficiant (*δρόμος ἦν καὶ ἅμιλλα, συνήθη καὶ φίλον, πάντα πιστεύων καὶ πάντα χρώμενος αὐτῷ*). Adde quod quae capite 22 in., quod arte cohaeret cum capite 21, dicuntur, etiam fragmento 277 Theopompi narrantur, quamquam a Plutarcho verba aliquantum commutata sunt. — Plura quae certa haberi possent Theopompi vestigia, non inveni.

CAPUT IX.

DION, TIMOLEON.

Cum in vitae Dionis capite 24 (V, 21, 11) ipse Plutarchus profiteatur ex Theopompo se prodigii narrationem sumpsisse, prodigia potissimum et somnia et alia eiusmodi illum studiose notasse recte videmur censuisse. Atque eo accuratius haec narratio (20, 29 — 21, 10) ex eo transscripta est, cum omnes periodi ex more Theopompeo ita currant, ut membra constanter inter se opponantur (*ἀετὸς μὲν — ἡ δέ; τῶν μὲν ἄλλων οὐδενὸς ἐνδεεῖς — ὦτα δ' οὐκ ἔχοντες; τοῦτο μὲν — τὴν δὲ γλυκύτητα*) et synonyma abundanter coniungantur (*ἀράμενος ὑψοῦ καὶ φέρων; ἀπόστασις καὶ ἀπείθεια; καιροὶ ἀνιαροὶ καὶ πονηροί; ἀρχὴ καὶ δυναστεία*, quae Theopompi propria esse supra pag. 20 diximus, *ἀφανισμὸς καὶ κατάλυσις*). Verbum *προσκλύζω πρός* . . . (20, 31) nullo alio loco exstat apud Plutarchum. Num etiam quae (20, 11 sq.) de luna deficiente commemorantur ex Theopompo deprompta sint, non audeo diiudicare, cum certas in verbis notas non invenerim. Verborum tamen quibus in capite 7 (6, 14 – 30) Dionysii mores describuntur et argumentum et verba Theopompum redolent. Nam ut in aliis eiusmodi adumbrationibus morum atque

ingeniorum ita hic compotationes potissimum aliaeque libidines notantur et quomodo iis mores ac natura hominum in peius vertantur, consideratur. Accedit quod etiam fr. 217 Dionysii vinolentia commemoratur, et quod oratio, si verba *ὑφ' ὧν ἡ τυραννὶς . . . ἀμβλυνομένη* (6, 18 — 22) quae a Plutarcho ipso addita videntur esse omiseris, more Theopompeo ita composita est, ut tribus gradibus (1) *οἱ μὲν γὰρ εὐθὺς . . . ἀσχήμονας*, 2) *ἐκ δὲ τούτου προϊοῦσα . . . διέφθειρεν*, 3) *ἡμέρας γάρ, ὥς φασιν, ἐνενήκοντα συνεχῶς ἔπινεν*) ad deteriora quaeque deinceps commemoranda usque procedat. Huc adde synonyma coacervata (*ὁμιλία, καὶ συνήθεια* 6, 15 *ἡδοναὶ καὶ κολακεῖαι, ἔρωτες καὶ διατριβαί, ἐξέτηξε καὶ διέφθειρεν* 6, 26 *ἄβατος καὶ ἀνείσοδος* 6, 28) et 6, 29 complexionem verbis *μέθαι καὶ σκώμματα καὶ ψαλμοὶ καὶ ὀρχήσεις καὶ βωμολοχίαι* effectam. Ceterum vox *ῥεμβώδης* (6, 17) nusquam praeter hunc locum in Plutarchi libris et apud Suidam invenitur.

Etiam quae secuntur capita maxime censeam ex Theopompo fluxisse, quamquam etiam alios scriptores adhibitos esse haud nego nec satis certa signa quae in cap. 8 et 9 insint, afferre possum; sed in capite 10 verba *εἰς ἀρετῆς λόγον* (8, 26) et vinculorum ferreorum mentio (*τοὺς γὰρ ἀδαμαντίνους δεσμοὺς* etc. 9, 1) ex capite 7 (6, 24) repetita et nominum coacervatio synonymorum et artificiosa verborum *ἐξ ἀκοσμίας κόσμος* (8, 28) coniunctio et sonitus ubertasque, quae insunt in membris inter se oppositis, omnia signa sunt orationis Theopompeae. Tota autem narratio inde a cap. 7 usque ad cap. 10 satis argumenti perpetuitate cohaeret, et in capite 9 eiusmodi fabulae deprehenduntur, quales magno studio a Theopompo colliguntur. Itaque haec omnia illi tribuerim. In reliqua vita nihil inveni quod certo eidem vindicarem. Etenim quamquam in iis quae in capite 32 (29, 4 sq.) de Heraclide duce atque in capite 34 de Sosi dicuntur, similitudo quaedam exstat cum eius oratione, tamen cum in omnibus his capitibus perspectum sit aliis scriptoribus (Timaeo, Timonide), Plutarchum nixum esse, illorum potius orationem suspicer non multum a Theopompea abhorruisse. Id enim semper tenendum est, Theopompum non novum prorsus vel singularem stilum usurpasse.

Nec plures exstant Theopompi reliquiae in vita T i m o l e o n t i s; cuius priusquam singula capita perspiciamus, refutanda nobis videtur

sententia Haugii de Timoleonte Theopompum egisse negantis (l. l. pag. 62). Is enim ut ita statueret verbis quae sunt apud Diodorum XVI, 71 (*καὶ κατέστρεψεν* [scil. *Θεόπομπος*] *εἰς τὴν ἔκπτωσιν Διονυσίου τοῦ νεωτέρου*) commotus est. Quae parum caute pronuntiata esse iam Mueller (F. H. G. I, pag. LXXIIb) demonstravit, quoniam Theopompi fragmento 216 commemoratur, quomodo Dionysius secundus exul Corinthi vitam degerit. Atque cum in Timoleontis vitae capite 4 (II, 5, 11) Theopompus auctor inducatur, ubi de Timophanis, fratris Timoleontis, nece et de Timoleontis iuventute agitur, et ita citetur, ut primo loco nominetur (*Θεόπομπος, Ἔφορος, Τίμαιος*), haud absonum est existimare in his rebus enarrandis Plutarchum imprimis Theopompi auctoritate nixum esse. Quod quidem oratione quae est 3, 32 (*ἦν μὲν οὖν γονέων*) — 6, 10 (*τῶν ἀγρῶν διέτριβεν*) (cap. 3 — 5) comprobatur. Hic enim Timoleontis natura et eruditio et ingenium explicantur, qualia quidem Theopompus potissimum summo studio enotabat atque eiusmodi narratiunculis quales cap. 4 de Timoleontis erga fratrem amore et cap. 5 de matris maerore traduntur illustrabat; deinde ex verbis *οἱ δὲ μὴ δυνάμενοι ζῆν ἐν τῇ δημοκρατίᾳ* etc. (5, 26) apparet eum qui haec scripserit non ita laudare rem a Timoleonte gestam sed magis a partibus eorum stare qui libera republica vivere nolint. Tum in his capitibus omnibus sententiae inter se oppositae sunt et ipsae divisae in membra dichotomia incisa, et saepissime bina nomina simile significantia coniuncta sunt. Verba *σκορπίζω* (4, 22) et *μυσώδης* (5, 30) cum nullo alio loco invenerim, ex Theopompo suspicor transcripta esse. Persuadet capita 3 — 5 Theopompo tribuenda esse Diodorus XVI, 76 qui, etiamsi verba nulla congruunt, illas res eodem modo explicat, si ea discrimina omiseris, quae ex Diodori qua usus est in excerpendo levitate orta esse manifestum est, ita ut haec ex variis manasse fontibus vix credibile sit. Diodorum autem haec ex Theopompo sumpsisse ea re certiores facti sumus, quod et fragmento 216 simile quiddam significatur iis quae Diod. XVI, 70 explicantur, et ubi de Timoleonte narrare desinit Diodorus (cap. 70) pronuntiat Theopompum de illis rebus Siculis scripsisse. Ita fit ut Diod. XVI, 70 verba: *τὴν περιβόητον τυραννίδα καὶ δεδεμένην, ὡς ἔφασαν, ἀδάμαντι* mirum in modum concinant cum Dione V, 6, 24 et 9, 1 quae supra pag. 63 Theopompo adiudicavimus.

In cap. 8—14 etiamsi fere eadem atque a Diod. XVI, 66—70 exponuntur, tamen non levia exstant discrimina, ut Plutarchum in his rebus Theopompum secutum esse negari possit. Sed illa discrimina ita maxime videntur exorta esse, ut Diodorus cum levitate quadam Theopompi libros excerpserit et summaria quaedam ex iis composuerit, Plutarchus autem eius narrationem ex suo iudicio magnopere commutaverit. Atque nonnullis locis minutissimae quaeque res mirum in modum consentiunt. Nam in iis quae de prodigiis narrantur cap. 8 (8, 6—9) etiam verba simillima sunt Diodoro (XVI, 66, 4):

Plut.	Diod.
αἱ μὲν ἱέρειαι τῆς Κόρης ὄναρ ἔδοξαν ἰδεῖν τὰς θεὰς πρὸς ἀποδημίαν τινὰ στελλομένας καὶ λεγούσας, ὡς Τιμολέοντι μέλλουσι συμπλεῖν εἰς Σικελίαν. Διὸ καὶ . . .	*ὁ δὲ Τιμολέων προακηκοὼς ἦν . . . τῶν . . . Κόρης ἱερειῶν, ὅτι κατὰ τὸν ὕπνον αὐταῖς αἱ θεαὶ προήγγειλαν συμπλεύσεσθαι τοῖς περὶ τὸν Τιμολέοντα . . . εἰς τὴν ἱερὰν αὐτῶν νῆσον. Διόπερ . .*

et in eodem capite 8, 17—18, 20—21 accurate congruunt cum Diod. XVI, 66, 2 et 3; et Timol. cap. 10 (10, 24) cum Diod. XVI, 68, 8. Deinde saepenumero bina vocabula fere idem significantia consociantur 10, 25 (cap. 10) *ἔχοντος καὶ δυναστεύοντος*, 28 *νομίμως καὶ δικαίως*, 30 *ἀπεχθῶς καὶ ἀλλοτρίως*, 11, 9 (cap. 11) *ἐπαχθῶς καὶ βαρβαρικῶς*, 31 *ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας ἥκειν καὶ καταλύειν τοὺς μονάρχους* et plura (in cap. 12); cap. 12 sententiae particulis *μὲν-δὲ, οὐκ-ἀλλὰ* paene artificiosum in modum inter se opponuntur. Adde quod quae 11, 29 sq. de Pharace proferuntur, et cum fragmento 218 Theopompi conspirant et morem eius dicendi membrorumque dispositionem et severitatem acerbitatemque in vitiis notandis redolent. Ceterum adiectivo *διάπλεος, α, ον* (11, 27) Plutarchus alio loco non usus est. Denique ea verba quibus universa Theopompi de rebus Siculis narratio conclusa videtur esse et quibus quomodo Dionysius secundus regno spoliatus sit Corinthumque se contulerit exponitur (cap. 13, 14), una cum narratiunculis vitae eius rationem significantibus Theopompo attribuam. Neque enim solum concinunt ea cum Diod. XVI, 70, sed etiam in verbis multa habent, quae Theopompi propria sunt: verba synonyma coniuncta, vocis *πατεῖν*, quae exstat 14, 20 (cap. 14) *οἷον ἐρριμμένον ὑπὸ τῆς τύχης πατήσοντες.*

usum translatum (cf. pag. 20), breve enuntiatum absolute positum et mediae periodo insertum (13, 24 *ἀδύνατον γὰρ ἦν ἐφορμούντων πολεμίων*), colorem et ubertatem oratoriam maxime contemplationibus et comparationibus diversorum qui acciderunt in Dionysii vita casuum effectam, diligentem copiarum atque divitiarum Dionysii enumerationem. Nihilominus verba a Plutarcho magnopere commutata esse docet laxior sententiarum nexus.

CAPUT X.

EUMENES, ALEXANDER.

Quamquam Alexandri aut Eumenis vitas a Theopompo derivatas esse neque Plutarchus ullo modo professus est neque in fragmentis ullo vestigio significatur — nam fragmenta 108, 334 aut epistulas a Theopompo ad Alexandrum missas nemo documenta existimet, quibus copiosius de Alexandro Theopompus scripsisse ostendatur — tamen in his quoque vitis num eius vestigia servata sint inquirere opus est. Nam cum Hachtmann (de Theopompi Chii vita et scriptis) et alii haud immerito monuerint fieri vix potuisse, ut Theopompus eos libros, quibus vehementissime in Philippum inveheretur, Alexandro vivo emitteret, verisimile videtur, eum scriptorem, quem Isocrates praeceptor, ut sua maxime describeret tempora, adhortaretur, usque ad eum annum quo opus suum absolveret, etiam res gestas pertractasse.

Deinde Riese l. l. conicit et a Theopompo Philippica conscribendi non prius finem factum esse quam ipsum annum 305 a. Chr. n. attigisset, et Cornelium Nepotem in Eumenis vita scribenda ex eius libris hausisse: Cornelium autem in illa vita ita cum Plutarcho conspirare, ut eundum uterque fontem secutus esset, iam Brueckner (De vita et scriptis Hieronymi Cardiani in Zeitschr. f. Alterthumswissensch. 1842 p. 253 sq. sive in Muelleri F. H. G. II. p 456) et Haug. l. l. p. 70 exposuerunt, qui quidem Hieronymum Cardianum principalem fuisse in Eumenis vita fontem existimarunt.

Atque in Eumenis vitae capite 3 nonnulla eaque certa inveni vestigia Theopompi. Maximam enim partem bipartita sunt enuntiata et bina inter se opposita; synonyma abundanter coniuncta [illegible] 120, 3 *λόγος καὶ πρόφασις*: imprimis redolent Theo-

pompum haec: 120, 8 φορᾶς μεστός (cf. pag. 45) et 120, 12 εἰς ἀργυρίου λόγον (cf. pag. 19), eundem breves morum descriptiones (119, 20; 120, 8), eundem diligens copiarum enumeratio 120, 11 sq. Porro in capite 16 clara est eius nota: 137, 13 ὥσπερ ἀθληταὶ πολέμων ἀήττητοι (cf. pag. 23). In iis quoque, quae inter cap. 3 et 16 intersunt, vestigia Theopompea cognoscuntur, etiamsi minus luculente eminent. Nam 122, 3—13 (cap. 5 extr.) sententiae diligenter et more Theopompeo dispositae atque incisae inter se oppositae sunt, 122, 31 (cap. 6) verba ἐν ἀταξίᾳ καὶ περὶ πότους ἔχοντι multa habent similia in eius fragmentis, 123, 10—17 (cap. 6) somnium ita exponitur, ut tribus sententiis hoc modo coniunctis contineatur oratio: ἐδόκει γὰρ — εἶτα — γενομένου δέ, quamquam singula in iis verba magnopere a Plutarcho commutata sunt; singulares sunt apud Plutarchum voces δυσάρμοστος 133, 4 (cap. 13), στρατηγιάω 133, 21 (cap. 14). Denique hoc fortasse commemorandum videtur, quod hac in vita quater synonyma haec coniunguntur: φίλος καὶ συνήθης 17, 12 (cap. 1); 125, 23 (cap. 7 extr.); 128, 6 (cap. 9); 139, 18 (cap. 18), quod cum etiam II, 112, 1 (Pelop. cap. 28) et IV, 20, 7 (Phoc. cap. 21 extr.) et III, 289, 2 (Alex. cap. 10) fiat, fortasse haec eiusdem scriptoris vestigia agnoscenda sunt. Ceterum suspicor et in hac vita et in aliis nonnullis ea quae sola orationis proprietate respecta ad Theopompum auctorem rettuli, ab aliis viris doctis ita fortasse explicatum iri, ut ex posterioribus scriptoribus, qui ad Theopompeae orationis exemplum stilum suum limaverint, haec derivanda esse opinentur (quae supra pag. 63 dixi).

In Alexandri autem vita idcirco nihil ex Theopompo fluxisse Haug suspicatur, quod cum aliis locis tum maxime cap. 46, ubi permulti scriptores appellentur, eius nomen omittatur. Sed eos hoc loco enumerat Plutarchus, quos in expeditione Alexandri exponenda secutus est. Nullo autem modo prohibemur, quominus in primis capitibus quibus de Alexandri natura et indole agitur, hic illic Theopompum auctorem fuisse statuamus. Nam cum cap. 11 (III, 290, 15 sq.) nonnulla verba similia sint vel congruant (παῖδα ἀποκαλῶν) cum Demosth. cap. 23 (IV, 229, 10) et III, 292, 3—4 cum IV, 230, 6 (μεστὸν ὥσπερ λέοντα), cumque in Demosthenis locis Theopompum fuisse fontem cognoverimus, etiam haec ex eo-

dem hausta esse putabimus, cum praesertim ea quae capite 12 exponuntur optime cum Theopompi more consentiant fabellas et narratiunculas proferendi, cumque cap. 11 et 12 ut cum ceteris levissimo vinculo coniuncta sunt ita artissime argumento inter se cohaereant. Itaque haec capita ad Theopompum referenda esse auctorem suspicor. Num vero etiam cap. 5 — 9, in quibus hic illic obscurae atque dubiae notae inveniuntur, ex eodem manaverint, non ausus sim diiudicare, cum certioribus documentis coniecturam comprobare non possim.

Atque haec quidem hactenus. Quantum autem defecerint vires meae ad hanc quaestionem, quam monente et instigante Guilelmo Studemund praeceptore meo tractandam suscepi, prorsus absolvendam cum non me fugiat, hoc unum velim teneant benigni iudices, quam faciles hae res sint cognitu, inventu quam difficiles. Neque ignoro, quod totiens me monuit Studemund, pleniorem atque accuratiorem Theopompeae dictionis imaginem ex Plutarchi Moralibus et ex Diodoro recuperari et posse et debere; polliceorque me his libris diligentius examinatis mox ad Theopompeam orationem certius definiendam accessurum esse; in praesens tamen in his quae conscripsi acquiescere volui, contentusque ero si docti homines ut non indocto mihi suffragabuntur.

EXCURSUS

DE FRAGMENTIS THEOPOMPI IN SUIDAE LEXICO LATENTIBUS.

Non solum id quod pag. 20 protuli in Suidae lexico exstat Theopompi fragmentum sed etiam alia, quae ad hunc auctorem referenda esse viros doctos adhuc fugit. Cum enim quae s. v. *λάσταυρος* leguntur: *εἴ τις ἐν τοῖς Ἕλλησιν ἢ βαρβάροις λάσταυρος τὸν τρόπον οὗτοι πάντες ἑταῖροι τοῦ βασιλέως ἦσαν* Imm. Bekker et quae s. v. *ἀθλητάς* proferuntur: *τοιγαροῦν οὐ μόνον ταῦτ' ἔχειν αὐτοὺς παρεσκεύαζεν, ἀλλὰ καὶ τῆς ἄλλης ἀδικίας καὶ βδελυρίας ἀθλητὰς εἶναι· τί γὰρ τῶν αἰσχρῶν καὶ δεινῶν αὐτοῖς οὐ προςῆν, ἢ τί τῶν καλῶν καὶ σπουδαίων οὐκ ἀπῆν;* et Bekker et Bernhardy Theopompo recte adiudicarent, utrumque fugit ea quae s. v. *παράπαν* et s. v. *ἐξηνδραποδισμένον* (s. v. *πραξικοπήσας* eadem fere verba exstant sed librariorum neglegentia aliquantum corrupta) et s. v. *ἀπεδοκίμαζεν* leguntur verba ex Polybio transcripta primum auctorem habere Theopompum (fr. 27 et 249); Polybium enim VIII, 11 verbis Theopompi uti manifestum est. Deinde in Theopompi fragmentis colligendis Mueller omisit a Suida s. v. *Σαμίων ὁ δῆμος* haec tradi: *τοὺς δὲ Βαβυλωνίους ἐδίδαξε διὰ Καλλιστράτου Ἀριστοφάνης ἔτεσι πρὸ τοῦ Εὐκλείδου καὶ ἐπὶ Εὐκλέους. περὶ δὲ τοῦ πείσαντος ἱστορεῖ Θεόπομπος.* — Adde quod quae s. v. *Κάρανος* leguntur, quamquam summaria quaedam esse magnopere contracta neque ulla propriae auctoris orationis nota distincta primo obtutu apparet, tamen ex iis, quae apud Syncellum p. 498 B. extr. inveniuntur, *γενεαλογοῦσι δ' αὐτὸν οὕτως, ὥς φησι Διόδωρος καὶ οἱ πολλοὶ τῶν συγγραφέων, ὧν εἷς καὶ Θεόπομπος,* quo loco eadem fere atque apud Suidam de Carano, Amynta, Philippo narrantur, certo concludi potest, sive Suidas ipso Theopompo auctore nixus sit sive alio quodam, haec ad illum quasi fontem atque originem redire, cum

praesertim Diodorus, ubi eadem enarrat (XVI, 2 et 34), quantum prima specie video, eundem auctorem adhibuerit et XVI, 3 extr. nominaverit. — Quod si quis comprobaverit, ea quoque quae apud Suidam s. v. *Χάρητος ὑποσχέσεις* de Charete Atheniensium duce leguntur (*Χάρης στρατηγὸς Ἀθηναίων εὐχερής τε καὶ ἑτοιμότατος πρὸς τὰς ὑποσχέσεις λέγεται γεγονέναι*) fortasse Theopompea agnoscet, cum de eadem re illo Diodori loco verba fiant. — Nec desunt apud Suidam alia exempla, in quibus vel singula verba vel argumentum ac sententiae Theopopeam speciem praebeant. Nam cum quae exstat in iis quae s. v. *εὐανακλήτως* proferuntur (*καὶ πρὸς τοὺς χαλεπήναντας καὶ πλημμελήσαντας εὐανακλήτως ἔχειν καὶ εὐαναδιδάκτως, ἐπειδὰν αὐτοὶ ἐπανελθεῖν θέλωσι*) ipsa vox *εὐανάκλητος* admodum rara in Plutarchi Cimonis cap. 17 (II, 492, 19) eo loco inveniatur, quem ex Theopompo derivatum esse constat (cf. pag. 27), cumque Suidae verba et ad hunc ipsum locum referenda esse videantur et optime cum Theopompi more narrandi consentiant, haec ei adiudicare vix dubito. Atque eadem vox *εὐανάκλητος* cum etiam Plut. Gracch. cap. 2 extr. (IV, 167, 11) exstet, hoc loco ita videtur adhibita esse, ut Plutarchus cum Gai Gracchi contionandi morem cum Cleone compararet (166, 19 seq.), eorum quae de Cleone ex Theopompo derivata narrasset (cf. Nic. cap. 8 [III, 10, 25 seq.] et ea quae pag. 48 dixi) recordaretur itaque Theopompeum verbum adsciisceret. — Ubi autem de Niciae cap. 8 verba feci (pag. 48), adiectivum *ἀκάθεκτος* (III, 10, 22), cum apud Plutarchum singulare esset, Theopompi proprium suspicatus sum: eadem vero vox a Suida affertur et hoc illustratur exemplo: *ἦν γὰρ ἀκάθεκτος ὁρμὴ περὶ αὐτὸν διὰ τὰς τῶν Περσῶν ἐπάρσεις*; ceterum idem vocabulum adhibuit Zonaras pag. 102.

Deinde quae leguntur s. v. *ἄνευ ξύλου μὴ βαδίζων. περὶ Κλεομένους λέγει. ὃς στρατηγὸς ὢν Ἀθηναῖος προσεποιεῖτο πρὸς τοῖς ἄλλοις κακοῖς καὶ μανίαν, εἰδὼς ὅτι μισεῖται παρὰ τῶν πολιτῶν. διὸ καὶ βακτηρίαν ἔχων περιῄει, δι' ἧς ἠμύνετο τοὺς ἐπερχομένους αὐτῷ*, cum de eiusdem Cleomenis petulantia Plut. Lys. cap. 14 (II, 397, 26) (de quo loco vide pag. 53) verba fiant, cumque tales fabellas enarrandi mos a Theopompo minime abhorreat, haec eidem attribuenda esse subnascitur suspicio. — Item quae s. v. *ψευδατραφάξυος πλέα* de Cleone ex scholiis Aristoph. Equ. 627 (sive 630 ed. Duebner), ut Bern-

hardy adnotavit, deprompta narrantur, propter orationis speciem et argumentum et enuntiationum structuram cum Theopompi oratione ita concinunt, ut ad eundem referenda haec esse si existimem nimis temerarius esse mihi non videar.

Ceterum nescio an et apud Suidam et in scholiis Aristophaneis plura ex illo excerpta sint, cum in his Theopompus historicus tredecim locis auctor nominetur et nonnulla alia eius orationis vestigia prae se ferre videantur, atque ex iis, quae apud Suidam s. v. *λοπάς* leguntur: *παρὰ δὲ Θεοπόμπῳ ἡ σορὸς καὶ παρὰ τοῖς κωμικοῖς* hunc scriptorem a Suida (vel ab eius fonte) locupletissimum dialecti atticae auctorem habitum esse optimo iure liceat conicere, si quidem recte historicum hoc loco Theopompum nominari censeo neque in Bernhardyi sententiam eundum videtur verba Suidae ita vertentis, ut „apud Theopompum et alios comicos“ diceret.[1])

[1]) Ceterum moneo apud Eudociam nulla Theopompi vestigia me repperisse: ea enim quae de Epimenide pag. 150 sq. (ed. Villoison) narrantur ex Diogene Laertio transcripta esse constat.

Typis C. F. Winteri Darmstadiensis.